IOANNIS VAHLENI

IN M. TERENTII VARRONIS

SATURARUM MENIPPEARUM

RELIQUIAS

CONIECTANEA

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI

MDCCCLVIII.

In demselben Verlage sind erschienen und in allen Buchhandlungen zu haben:

Aeschyli Septem ad Thebas. Ex recensione G. Hermanni cum scripturae discrepantia scholiisque codicis Medicei scholarum in usum edidit Fridericus Ritschelius. gr. 8. geh. 16 Ngr.

Additamenta ad civitatis Platonicae libros X, Lipsiae A. MDCCCXXX. XXXI. XXXIII. editos a **C. E. Chr. Schneidero.** gr. 8. 1854. geh. 15 Ngr.

Alberti, Eduard, zur Dialektik des Platon. Vom Theaetet bis zum Parmenides. (Aus d. Suppl. z. d. Jahrb. f. Philol. besonders abgedr.) gr. 8. 1855. geh. 15 Ngr.

Alciphronis rhetoris epistolae cum adnotatione critica editae ab Augusto Meinekio. gr. 8. 1853. geh. 1⅓ Thlr.

Apollonii Argonautica. Emendavit, apparatum criticum et prolegomena adiecit R. Merkel. Scholia vetera e codice Laurentiano edidit **H. Keil.** gr. 8. 1854. geh. 5 Thlr.

Aristophanis Nubes edidit illustravit praefatus est W. S. Teuffel. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bambergeri, F., opuscula philologica maximam partem Aeschylea collegit F. G. Schneidewin. Praemissa est memoria F. Bambergeri a G. T. A. Kruegero conscripta. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 20 Ngr.

Becker, Dr. Paul, die Herakleotische Halbinsel in archäologischer Beziehung behandelt. Mit zwei Karten. gr. 8. 1856. geh. 24 Ngr.

Bentley's, Dr. Rich., Abhandlungen über die Briefe des Phalaris, Themistocles, Socrates, Euripides und über die Fabeln des Aesop. Deutsch von **Woldemar Ribbeck,** Dr. gr. 8. 1857. geh. 4 Thlr. 20 Ngr.

Bernstein, G. H., das heilige Evangelium des Johannes. Syrisch in Harklensischer Uebersetzung mit Vokalen und den Punkten Kuschoi und Rucoch nach einer Vaticanischen Handschrift nebst kritischen Anmerkungen. Gedruckt mit neuen syrischen Typen. gr. 8. 1853. geh. 2⅔ Thlr.

Bionis Smyrnaei Epitaphius Adonidis. Edidit H. L. Ahrens. 8. 1854. geh. 15 Ngr.

Boeckh, A., zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen. (Besonderer Abdr. aus den Suppl. d. Jahrb. f. Philol.) gr. 8. 1855. geh. 22½ Ngr.

—— epigraphisch-chronologische Studien. Zweiter Beitrag zur Geschichte der Mondcyclen der Hellenen. (Besonderer Abdr. a. d. II. Supplementband d. Jahrb. f. class. Philol.) gr. 8. 1857. geh. 1 Thlr. 3 Ngr.

—— gesammelte kleine Schriften. Erster Band: Augusti Boeckhii orationes in universitate litteraria Friderica Guilelma Berolinensi habitae. Edidit **Ferdinandus Ascherson.** gr. 8. 1858. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Bredovius, F. I. C., quaestionum criticarum de dialecto Herodotea libri quattuor. gr. 8. 1846. geh. 2 Thlr.

Bucolicorum Graecorum Theocriti Bionis et Moschi reliquiae accedentibus incertorum idylliis edidit **Henricus Ludolfus Ahrens.** Tomus primus textum cum apparatu critico continens. gr. 8. 1855. geh. 2 Thlr. 12 Ngr.

Catonianae poesis reliquiae. Ex recensione A. Fleckeiseni. gr. 8. 1854. geh. 6 Ngr.

Charisii artis grammaticae libri V, s. unter Grammatici Latini.

Comicorum Latinorum praeter Plautum et Terentium reliquiae. Recensuit Otto Ribbeck. gr. 8. 1855. geh. 3 Thlr.

Cornifici Rhetoricorum ad C. Herennium libri IIII. Recensuit et interpretatus est **C. L. Kayser.** gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr. 20 Ngr.

Corssen, Guil., de Volscorum lingua commentatio. 4. 1858. geh. 12 Ngr.

Didascalia apostolorum Syriace. gr. 8. 1855. 4 Thlr.

Didymi Chalcenteri grammatici Alexandrini fragmenta quae supersunt. Collegit et disposuit **Mauricius Schmidt.** gr. 8. 1854. geh. 3 Thlr.

Dietsch, Rudolf, Versuch über Thukydides. gr. 8. 1856. geh. 12 Ngr.

Diomedis artis grammaticae libri III, s. unter Grammatici Latini.

Ennianae poesis reliquiae. Recensuit Ioannes Vahlen. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.

Fischer, Maximilian Achilles, Gergovia. Zur Erläuterung von Caesar de bello Gallico VII 35—51. Mit Grundplan und Uebersichtskärtchen. (Aus d. Suppl. z. d. Jahrb. f. Philol. besonders abgedruckt.) gr. 8. 1855. geh. 12 Ngr.

Fleckeisen, Alfred, zur Kritik der altlateinischen Dichterfragmente bei Gellius. Sendschreiben an Dr. **Martin Hertz** in Berlin. gr. 8 1854. geh. 9 Ngr.

Friederichs, Dr. K., Praxiteles und die Niobegruppe nebst Erklärung einiger Vasenbilder. Mit einer Kupfertafel. gr. 8. 1855. geh. 1 Thlr.

Frontini, Iulii, de aquis urbis Romae libri II recensuit Franciscus Buecheler. gr. 8. geh. 15 Ngr.

IOANNIS VAHLENI

IN M. TERENTII VARRONIS

SATURARUM MENIPPEARUM

RELIQUIAS

CONIECTANEA

IOANNIS VAHLENI

IN M. TERENTII VARRONIS

SATURARUM MENIPPEARUM

RELIQUIAS

CONIECTANEA

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
MDCCCLVIII.

TYPIS B. G. TEUBNERI.

IOANNI BRANDISIO

GUSTAVO DRONKIO

AMICIS BONNENSIBUS

S.

CONIECTANEA
IN M. VARRONIS SATURARUM
RELIQUIAS.

M. Varronis saturarum reliquiis cum multi eam, qua imprimis dignae erant, colligendi et emendandi curam adhibuerint, ab ea tamen opera, quae in reconcinnanda e disparatis membris integrioris corporis specie versatur, abstinuerunt fere tam ii, qui edendis fragmentis praefuerunt, quam qui in transcursu ea aliud agentes attigerunt. At vero licet in plerisque earum hoc genus criticae omne, ne in somniandi vanitatem abeat, ipsa tenuitas reliquiarum dissuadeat, in nonnullis quidem felicior sors obtigit, ut fragmentorum numerus et condicio fidem faciat, posse inde divinandi arte eam quae olim fuerit distributionem argumenti resuscitari. Quamquam ne in his quidem, cum nihil subsidii ab exteris testibus accedat, licet fere ultra probabilitatem ad maiorem fidei gradum ascendere: ut verendum sit, ne, qui nihil nisi quod suis testimoniis constet ratum habere soleant, hanc omnem commeutandi materiam inter ludibria referri suadeant. A quibus seorsum ita sentio, reliquias, modo ne imperiose iubeas id quod ipse volueris edere, sed indicia earum, etiam tenuiora, curiose excipias, saepe ipsas ea quibus olim telae intextae fuerint fila ostendere. Qua quidem sollerti reliquiarum pervestigatione quid etiamnunc in reliquiis Varronianis effici queat, nuper exemplum Th. Mommseni probavit, qui, cum alia praeclara de Varrone dissereret, aliquot saturarum argumenta ita recuperavit, ut per sua quasi tabulata lepida poëmatia exaedificaret. Cui cum propter sui libri imprimis nobilitati rationes breviter et nostro sermone

liberet reliquias eo, quem pristinum esse divinabat, ordine perscribere: mihi, dum monstratam ab illo viam persequi, si potero, animus est, aliam tractationem alia huius libelli condicio suadet. Nam et causas, quibus mea regeretur dispositio, ne inauditus damnarer, explicari, et eam, quae non raro iustae dispositioni viam aperuit, emendandi operam uberius firmari oportebat: in quo nescio num saepius debuerim librariorum delicta corrigere, quam irrita et a pravo fragmentorum intellectu oriunda criticorum conamina repellere. Criticam autem cum praesertim iis, quarum argumenta eruebam, saturis adhiberem, nolui simul, quae saepius obveniebat, aliis aliarum saturarum reliquiis medelam afferendi opportunitatem devitare. Nec decebat, quo insignis horum opusculorum nitor et elegantia consistit, metricum genus omittere: in quo cum post admirabilem Iosephi Scaligeri sollertiam Ritschelius, Meinekius, Lachmannus obiter sed praeclare versati sint, ac nuper Ad. Kochius et Th. Roeperus dedita opera elaborarint, tamen contigit mihi, ut non tenue numerorum, qui adhuc delitescebant, spicilegium facerem: quamquam non potui non simul de collecta ab aliis messe partem rursus demere: qui neque nimiam, cui nonnulli indulserunt, commutandi licentiam approbem, neque omnino Menippeo Varroni multiforme sermonem intextis carminibus distinguendi artificium fucatorum versuum simulacris eripi patiar.

I

Itaque meam reconcinnandi operam ab ea satura incipiam, cui Varro hunc indicem fecit

ΟΝΟΣ ΛΥΡΑΣ.

Cuius omnem materiam ex arte musica depromptam esse reliquiae indicant. Ut qui L. Mercklini de Menippearum titulis rationem (nov. mus. Rhen. XII p. 372) sequatur, possit illi inscriptioni hanc alteram περὶ μουσικῆς in consortium adiicere. Oehlerum enim opinio fefellit, eum et indici et reliquiis nonnullis latius patentem significationem vindicat: quode dicam infra. Cavillatur autem Varro eam hominum nationem, quae spretis illius artis delenimentis in forensibus rebus vel venationibus vel aliis id genus occupationibus vitam degit. In hos enim valere illud voluit, quod ait ὄνος λύρας. Quam proverbialem locutionem, modo hac brevi modo pleniore forma velut ὄνος λύρας ἀκούων vel ὄνος λύρας ἀκούων κινεῖ τὰ ὦτα, et aliter afferri solitam, ἐπὶ τῶν ἀναισθήτων καὶ ἀμούσων sive ἐπὶ τῶν ἀπαιδεύτων esse paroemiographi scribunt. Vid. Schneidewini et Leutschii corporis vol. I p. 291 sq. vol. II p. 563 al.

Argumentum Varro bipertite distribuit ita, ut parte priore musicum quendam inducat, cantu auditores oblectantem, altera per diverbiorum alternationem musicum inter et ἄμουσον eius artis naturam et efficaciam illustret. Ergo suam musicus ἐπίδειξιν scaenicorum poëtarum exemplo a prooemio auspicatur, in quo consueto prologorum more et quis ipse sit quidque afferat expromit, et si qui ab eius artis oblectamentis alieni sint, eos ex auditorum corona excludit. Itaque olim non longe a limine saturae nec ipsa magnis inter se intervallis secreta haec, quae infra posui, fragmenta sedem habuerunt:

I (21 Oehl.)	*Qui fábularum cóllocant exórdia.*
II (15)	*Fonáscus adsum, vócis suscitábulum Cantántiumque gállus gallináceus.*
III (14)	*Pacvi discipulus dicor, porro is fuit Enni, Enniu' Musarum, Pompilius clucor.*
IV (16)	*Si quis μελῳδεῖν .. ἔστ' ὄνος λύρας Praesépibus se rétineat forénsibus,*
V (17)	*Quibús suam deléctet ipse amúsiam Et áviditatem spéribus lactét suis.*

Primus eorum versuum potuit hoc fere nexu olim legi: a prooemio exordiar, ut illi *Qui fabularum collocant exordia.* Malo enim in eo prologo imitationem scaenicorum potius agnoscere quam citharoedorum, de quorum prooemiis Cicero de oratore II 80, 325: *conexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affictum aliquod sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur.* 'Collocare exordia' dicit cum arte disponere: quemadmodum Cicero, ut in oratore 24, 80, et alii collocationem verborum usurpant. Varro autem alibi quoque de scaenae rivulis suam irrigavit aream, ut in ea satura, cui vulgo Gloria Περὶ Φθόνου inscribitur, hi prorsus ad scaenae morem facti versus leguntur:

Vosque in theatro qui voluptatem aúribus
Huc aúcupatum cóncucurristis domo,
Adéste, et a me quaé feram mi gnóscite,
Domum ut feratis é theatro litteras.

Mitto nunc, quae in his versibus offensioni sint, sunt autem quaedam nondum ad liquidum perducta: id unum in transcursu admonebo, ne indicem quidem eius saturae vulgo recte scribi. Nempe duo ex ea fragmenta Nonius tradidit his inscriptionibus: p. 325, 15 *Varro gloriam περὶ φθόνου*: et p. 148, 1: *Varro in glorio, peri oton:* sic enim ibi editores Basileenses, qui *peri toton* priore *t* inducto Wolfenbuttelanum, *iper toton* Leidensem exhibere adnotant. Atque hanc eius inscriptionis speciem adeo ab illa discrepare cum olim nonnulli tum nuper M. Hertzium (*Berlin. Jahrb. f. wiss. Krit.* 1845 I p.

259) secutus Mercklinus l. c. p. 386 existimavit, ut aegre sibi unam eandemque a Nonio citari saturam persuaderet. Sed cum pars altera, quae latina est, indicis utrobique si non compari at simili modo perhibeatur, ne alteram quidem, quae graece exhibita rudiori descriptori negotium facessere potuit, posteriore loco ita comparatam habeo, ut in titulorum diversitatem nos deducat: quid enim ita mirum praesertim apud Nonium haec *περὶ φθόνου*, cum graecas litteras scriba latine exararet in hunc modum *peri ftonu*, paullatim in eas formas abiisse, quas nunc libri, qui optimi sunt, perhibent: *peri toton* et *iper toton*. Quare cum Iunio et Mercero huic loco ex priore medicinam repetamus in graecis: ac vicissim illi latina ex hoc loco emendatius scripta reddamus. Nam quod Oehlero alii praeiverunt *Gloria περὶ φθόνου*, id quidem mihi a Varroniana inscribendi titulos consuetudine abhorrere visum est. Immo veritatem Mercerus tetigit, qui p. 148 *Varro Inglorio π. φ.* scribit, a quo non distat Basileensium scriptura *in Glorio*. Nonius enim, quod Oehlerus non valde accurate observavit p. 218, in afferendis his titulis *in* praepositione rarius uti solet: eandemque formam *Inglorio*, quod miror fugisse Mercerum, alteri loco p. 325 pro vulgato *Gloriam* restituo. Ut iam in posterum huic saturae inscribi debeat: Inglorius Περὶ Φθόνου: ac si licet ex indice coniecturam de argumento saturae capere, inglorius, quem livor et invidia vexabat, occasionem de invidiae rationibus disputandi praebuit: non aliter quam in ea satura, cui haec est inscriptio Devicti Περὶ Φιλονικίας (sic enim recte scribitur, nec debebat de *Vae victis* cogitari) a devictis certamine Varro ansam de victoriae cupidine disserendi repetiit. Mitto nunc alias inscriptiones, in quibus similem duarum partium rationem agnoscas: vel haec, in qua nunc versamur, satura, modo ea duplicem, quem proposui, indicem habuerit, illius rationis documento esse possit. Sed redeo e diverticulo in viam.

Fr. II *Fonascus adsum* scripsi cum Iunio: nec quid probabilius sit invenio: Nonii enim libri p. 176, 30 *fonicia sum* perhibent, in quo quod Oehlerus *phonicia* a ciendo *φωνήν* latero suspicatur, nec mixtum e graeca et latina forma vocabulum

placet, nec, qua nititur, analogiam agnosco: multum enim dispar est *praecia* glossa, quam Paulus breviator Festi explicuit p. 224 M. Aliorum commenta sciens omitto.

Fr. III suum nitorem Lachmanni ingenio debet, qui ad Lucretii V 679 p. 306 ex hac Nonii memoria p. 88, 4 *Pacuvius discipulus dicorporrois (dicor, porro is* Mercerus) *fuit Ennius (Enni, Ennius* Rothius) *Musarum. Pompilius clueor* lepidissimum, quod supra scripsi, distichion elicuit. Pompilius quis fuerit, dicere non possum: videtur autem hoc ipsum nomen esse eius, quem Varro induxit, musici, qui suam artem per Pacuvii Enniique gradus ab ipsarum Musarum gratia repetit. 'Musarum discipulus' quod Ennius vocatur, ad eius annalium exordium referendum est, quo respiciens Lucretius I 117 cecinit:

qui primus amoeno
Detulit ex Helicone perenni fronde coronam.

De forma *Pacvi* vide Lachmanno laudatum Mommsenum *(Unteritalische Dialecte p.* 284). Sed quod distichum illud tertio loco apposui, dubito num satis certo instituerim. Tenor quidem sententiarum commode a significata professione ad nomen ipsum procedit: sed cum distichi natura maxime clausulae conveniat (cf. G. Hermannus in elementis d. m. p. 359), fere adducor, ut reliqua prooemii fragmenta iambica concludi aptius disticho opiner. Varro quidem ipse semel, vel si recte coniicio, bis praeterea claudendo sententiarum ordini distichon adhibuit. Sic in Sexagessi, conquestus urbis Romanae depravationem, in hoc distichon, quod Lachmannus ad Lucretii I 805 p. 56 restituit (fr. 8 Oehl.)

Ergo tum Romae parce purcque pudentis
Vixere (en patriam): nunc sumus in rutuba.

graviter desiit. Ut huic fragmento paulo plures quam apud Oehlerum reliquiae praemitti debeant. Cui compari et sententia et usu est hoc de Γεροντοδιδάσκαλος fragmentum (14):

Ergo tum sacrae religiosae castaeque fuerunt res omnes:

in quo quod L. Prellerus *(Jen. Litt. Zeitung* 1847 n. 157) *res*

omnes convenienter id quidem latinitati de mulieribus interpretatur, argumentum saturae non assecutus est. Sed de sedo et sensu huius fragmenti cum facile concedat, qui indolem eius saturae percepit, de disticho erit tamen quod addubitetur: quando omnino numeros ibi latere nemo sensit praeter Ad. Kochium, qui in exercitationibus criticis p. 25 has heroicorum particulas eruit:

Ergo
Religiosae tam sacrae castaeque fuerunt
Res omnes.

Parum probabiliter me iudice, cum nec transpositionem, qua utitur, facile feram, et diremptio *ergo tum* particularum atque in duos versus distributio valde displiceat. Nec tamen video, quo alio leniore modo, scilicet servatis quae traduntur verbis, hexameter prodeat. Ut aut fallax sit illa metri species, aut alia res, non disturbatus verborum ordo, versus integritati obfuerit. Enimvero habemus sat certas heroici versus partes: *Ergo tum sacrae* et *castaeque fuerunt Res omnes.* Haeret versiculi tenor in *religiosae* voce, cui cum non multum collocatio vel sententiae necessitas faveat, tum gravior dubitatio ex ipso Nonio suboritur, qui ita scribit p. 267, 6 *Castum, religiosum. Virg. lib. VI 'quique sacerdotes casti, dum vita maneret.' Varro Gerontodidascalo: 'ergo tum sacra religiosae castaeque fuerunt res omnes.' Idem in Eumenidibus: 'namque venustas hic adest gallantibus? quae casta vestis?'* Nempe eam, quam obstare versui vidimus, vocem e Nonii lemmate in Varronis verba illatam arbitror: qua dempta, commode fluit hexameter:

. . *ergo tum sacrae castaeque fuerunt*
Res omnes.

Sed ne haec quidem conformatio prorsus satisfacit mihi, qui, maximo alterius exempli similitudine ductus, malim *ergo tum* particulas in initio versus quam in medio legi. Ut e suspitione subnascatur altera suspitio, non solum alienam vocem in Varronis verba invectam, sed eadem, ut fit, alteram, quae iure locum obtinebat, esse eiectam. Nimirum sic demum videtur integra scriptoris manus restitui:

Ergo tum Romae sacrae castaeque fuerunt
Res omnes.

Alter versus, quem Nonius truncatum tradidit, pentameter fuerit an hexameter, quis praestet hodie? sed cum recolo, quae de distichorum usu in clausula monui, et alterum illud exemplum respicio, videtur mihi pentameter fuisse, quem ludibunda manu expleas in hunc modum:

Res omnes: at nunc impia turba sumus.

Fragmenta IV et V diversis locis a Nonio (p. 49, 32 et p. 16, 22) tradita neminem fugit in unam sententiam continuari. In priore quae perhibentur *melodinist .onos lyras*, ea graece scripta *μελωδεῖν* ἔστ᾽ ὄνος λύρας G. Canterus nov. lect. V 22 (Gruteri Lamp. III p. 634) integritati vindicavit: quae cum Oehlerus calculo probaret, ex parte rursus depravavit scripturam, qui versum ita: *si quis μελωδεῖν est ὄνος λύρας* exprimendum curavit, ne illud quidem attendens, uno pede mutilum esse senarium. Idem de eorum versuum sententia fallitur, cum referri iubeat 'ad eos, qui neglectis et posthabitis omnibus studiis liberalioribus toti in rebus forensibus occupentur.' Cui explicationi cum obsit nonnisi de cantu et musica accipiendum *μελῳδεῖν* vocabulum, tum *amusiam*, etiamsi possit latius patente notione de artium liberalium ignoratione intellegi, tamen hoc nexu et in hac potissimum satura, cuius tot reliquiae expresse musicam referant, nihil profecto adducit, ut in illam potius quam in propriam vim vocis de musicae artis imperitia interpretemur. De paronomasia quae est in his *delectet* — *lactet* possis a Ribbeckio refictum Ennii versum trag. 390 conferre:

Sét me Apollo ipsús delectat [*láctat*] *ductat Délficus.*

Ad prooemium nihil est praeterea, quod confidentius referatur: ne de cantu quidem, qui illud excepit, ipso quicquam vestigii extat, licet ex indiciis quibusdam colligas, musicum carmen e sublimiore poësis genere tenui ac liquida voce non sine instrumento cecinisse.

Cantu peracto consueta scaenicis concludendi formula *valete*, inquit,

VI (22) *Valéte meque pálmulis prodúcite!*

Sic enim recte Scaliger loco infra citando *meque*, cum libri Nonii (p. 372, 29) *et me* exhibeant: quod Oehleri de metro incuriam non offendit.

Tantum est, quod de priore, quam significavi, saturae parte e reliquiis expiscari licuit: cuius partis indolem quam non agnoverit Oehlerus, vel inde apparet, quod haec, quae ineunti saturae vindicavimus, fragmenta perperam admixtis aliis in fine apposuit: quamquam in ea re quidem, in singulis licet multifariam aberrans, Ausonius Popma sanum iudicium probaverat.

Cantum musici auditorum diversa diversorum iudicia excipiunt. Inter quos est, qui illum, quod non ad psalterium e iocoso ac dicaci genere carmen protulerit, in hunc modum reprehendat:

VII (19) *Neque órthopsalticum áttulit psaltérium,*
Quibús sonant in Graécia dictéria.

Hinc est enim, quod supra suspicatus sim, musicum elatiore quodam ac sublimiore carmine defunctum esse. Dicteria enim, illi quae opponuntur, quidquid de origine vocis statuitur, dubitari nequit quin iocose ac salse dicta significent ea, quae Graecis σκώμματα sunt. Martialis VI 44, 3

Omnibus arrides: dicteria dicis in omnes.

Cf. Scaliger in Manilium (ed. Heidelb. a. 1590) p. 367 et in Catullum (nov. ed. Antverp. 1582) p. 17. Quod instrumentum musicus hic Varronianus cantui adhibuerit, nescitur: psalterium, quo comitari sua Graeci dicteria soleant, non fuisse, illi versus dicunt. Psalterium, de quo vide veterum testimonia apud L. Ianum in Macrobium vol. II p. 319, cum Varro orthopsalticum vocat (nec enim puto aliud latere in eo quod libri Nonii p. 101, 1 tradunt *orthopsalticium)*, non illud ab alio psalteriorum genere distingui voluit, sed ornandi causa ex instrumenti figura addidit epitheton non simplex, quod sufficiebat, ὀρθόν, sed compositum ὀρθοψαλτικόν h. e. erectum sonans, ita comparatum, ut non multum a simplici differre videatur. Formam autem, qua nitor, psalterii quod Oehlerus hoc latine reddito 'Dionis Chrysostomi in Protheos. ad Psalm.' loco:

'*psalterium unum est instrumentorum, quae fidibus tenduntur, sed erectum, cuius sonus altrinsecus ex superiore parte redditur*' illustrat, Dio quidem Chrysostomus nihil tale, quod sciam, scripsit, in Ioannis autem Chrysostomi commentariis ad psalmos non eadem sed haec fere similia verba inveni: in ps. CXLIX p. 634 a (Lutet. Paris. 1614) τὸ μὲν τύμπανον τὴν νέκρωσιν τῆς σαρκὸς ἡμῶν ἐπιζητεῖ, τὸ δὲ ψαλτήριον τὸ πρὸς τὸν οὐρανὸν βλέπειν· καὶ γὰρ ἄνωθεν τὸ ὄργανον τοῦτο κινεῖται, οὐ κάτωθεν ὥσπερ ἡ κιθάρα: quibuscum conf. quae de Hieronymi expositione psalmorum Ianus l. c. attulit.

Atque horum quidem, quae adhuc tetigi, fragmentorum si non improbabiliter sedem ac sententiam erui, facile aliorum commentis supersedebimus, maxime Scaligeri, qui ingenio paulo indulgentior suo in Catalectis Virgilii (Lugd. Bat. 1617) p. 252 ex illis et aliis nonnullis huius saturae versibus hunc, quo 'descriptionem psaltriae' contineri dicit, centonem collegit:

Phoeniciae sum voci' suscitabulum
Cantantiumque Gallu' Gallinaceus.
Qua mobilem Divum lyram Sol harmoge
Quadam gubernans motibus diis veget.
Enchorda psaltica attulit psalteria,
Quibus sonant in Graecia dicteria,
Qui fabularum collocant exordia,
Ut comici, cinetici, scenatici.
Si quis melodis naeniis ὄνος λύρας,
Praesepibus se retineat forensibus:
Quibus suam delectet ipse amusiam,
Et aviditatem speribus lactet suis.
Valete meque palmulis producite.

In quibus nolo rimari singula: quid distent a nostris quivis intelleget, nec vereor ne quis ea prae illis, quae ludibunda manu Scaliger iecisse videtur, spernat. Ab illis autem distant nonnihil haec, quae in eiusdem Scaligeri coniectaneis in Varronem (ed. III a. 1581) p. 84 sq. leguntur:

Et orthopallica attulit psalteria,
Quibus sonant in Graecia dicteria,

Qui fabularum collocant exordia,
Ut comici, cinaedici, scenatici:
Quibus suam delectet ipse amusiam
Et aviditatem speribus lactet suis.

Cf. ibid. p. 121 et in Manil. p. 367.

Calumniantur cantorem porro alii ex auditorum consessu, ut ille, qui istum, opinor, *μικρὸν φθεγγόμενον καὶ ἰσχνὸν καὶ γυναικῶδες*, ut ait Lucianus in Nigrino 11, non masculum esse sed mulierculam, quae personam masculi induerit, affirmat, Quem fere ut apud Iuvenalem ille de comoedis Graeculis III 96:

vacua et plana omnia dicas
Infra ventriculum et tenui distantia rima

dixisse putaverim. Talia enim colligo ex hac, qua illi responderi videtur, sententia:

VIII (11) *Si non plus testiculorum offenderis quam in castrato pecore in Apulia, vincor non esse masculum ad rem.*

Ad rem recte, ut puto, Oehlerus do re veneria accepit, quando sic nude *rem* ea vi dici latine e Plauto et Terentio notum est: ut fortasse non inepte Nonius p. 141, 9 hoc loco 'masculum pro forti ac vehementi' dici adnotet, ita ut his *masculum ad rem* Varro eum designet, quem Graeci *χρηστόν*: de mare enim cogitari res ipsa docet. Comicis frequentatur etiam offendendi usus, qui hic est et in Sexagessi fr. 2, ut ab inveniendo non distet: cf. Nonius p. 359, 1. De pecore, quod in exemplum vocatur, Apulo reminiscendum est Varronem ipsum in Apulia oviarias possedisse: de re rustica II 1, 16 al.

Denique unus ex auditoribus ipsum cantorem iurgiis lacessere audet:

IX (6) *Iurgare coepit dicens*
quae facis atque
In vulgum vulgas artemque expromis inertem.

Quibus accurate respondent haec, quae isti musicum reiecisse suspicer:

X (8) *Nempe sues silvaticos in montibus sectaris venabulo aut cervos, qui tibi nihil mali fecerunt, verutis: ah, artem praeclaram!*

Fr. IX, de cuius memoria videatur Mercerus ad Nonium p. 182, 30, illustratur ratio, qua Varro prosariae orationi (credo enim haec *iurgare coepit dicens* pedestria potius quam vel septenarii exitum esse) immiscuerit versus: ac nescio quam probabiliter Ritschelius in ind. lect. Bonn. hib. 1854—55 p. VIII illa cum hexametri fine in unius heroici formam conglutinarit:

Iurgare occepit dicens: quae iam facis et quor

Mihi videtur potius obiurgatio, versibus concepta, initio manca esse: quem defectum, quo sententia constet, possis ita resarcire: *nugae sunt, quae facis.* Sed Varro forsitan poëtae alicuius nobis deperditi versus apposuit. Solet enim aliorum poëtarum flosculis suam distinguere orationem, ut Endymionum fr. 5

. . . . . *dúm sermone cénulam variámus*
'*Interea tonuit bene tempestate serena.*'

ad Ennii versum annalium 517

Tum tonuit laevum bene tempestate serena

alludit: et eiusdem Ennii versibus usus est Testamenti fr. 2

E mea Philophthonia natis, quos Menippea haeresis nutricata est, tutores do
'*Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis.*'

cf. annalium v. 455: et Promethei fr. 9

Humánae quandam géntem stirpis cóncoquit
'*Frigús calore atque úmore aritúdinem*
Miscét.'

cf. Epicharmi fr. II

Frigori miscét calorem atque úmori aritúdinem.

cf. Ribbeckius nov. mus. Rhen. X p. 286. Item de Pacuvio sumpta sunt haec Manii fr. 5

— *ager derelínqueretur ac perirct*
'*Squalé scabreque inlúvie et vastitúdine.*'

cf. Pacuvii Teucri fr. I p. 97 Ribbeck.

Squalés scabresque incúlta vastitúdine.

Ut Meinekius (*Zeitschr. f. Alt. Wiss.* 1845 n. 93) iure videatur Ribbeckio l. c. paulo violentius etiam priora Varronis in numeros coëgisse:

Agér relinquerétur et perbiteret.

A comico sumptum videri Agathonis fr. 4

Quid tristiorem vídeo te esse quam ántidhac,
Lampádio? numquid fámiliaris filius
Amát nec spes est aúxili argentária,
Ideóque scapulae métuunt virgindémiam?

recte indicavit Ribbeckius, qui quod eos versus comicorum reliquiis p. 111 adscripsit, non debent tamen e Varronianis secludi. Ut versum Plautinum Mil. Glor. 322, qui in Andabatis Varronis fr. 2 fere eadem forma vulgatur, nec Varroni abiudicaverim confidentius, nec Varroniana accurate ad Plauti versum efformaverim: de qua re cf. tamen quae Ritschelius scripsit de Varr. disciplinarum libris p. 17. Mitto nunc alia, in quibus Varro ipse suum laudavit auctorem, ut Γεροντοδιδάσκαλωι fr. 12 et Bimarci fr. 25 Ennium, Ἀνθρωπόπολι fr. 6 Plautum eundemque Ταφῆι Μενίππου fr. 6: ne a graecis quidem poëtis abstinuit, ut Papia Papae fr. 2

— *obtrectatores tui iam nunc murmurantes dicunt*
Μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.

Alia maxime Menandrea Meinekium adverterunt, ut in hac satura, cui inscribitur Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα fr. 1

Ego unus scilicet antiquorum hominum subductis superciliis dicam: γαμήσεις νοῦν ἔχων.

Cf. Menandri versus apud Athenaeum p. 559 E. οὐ γαμεῖς ἂν νοῦν ἔχῃς e. q. s. Men. fragm. p. 7 ed. Did. Cf. Andabatarum fr. 1 et Ταφῆι Μενίππου fr. 11 et 12. Nec alia ratione hoc de Manio fr. 13 accipio:

Alterum bene acceptum dormire 'super amphitapa bene molli'

Haec enim, quae pulchrum paroemiacum efficiunt,

super amphitapa bene molli

delibata de nescio quo poëta pedestri orationi adhaerent: quam praemisso *iubent* vel simili integram praestes. Certe Kochii artificium irritum est, qui quae Varro recta oratione extulerit, ea a Nonio in obliquam deflexa arbitratus, haec tamquam Varronia commendat in exercitationibus criticis p. 26:

alter bene

Acceptus dormit super amphitapa bene molli.

Longe enim dispar est eius commutationis exemplum, de quo Lachmannus in Welckeri mus. Rhen. VI p. 117 disputavit. Haec autem veterum poëtarum imitatio apud Varronem si non semper at nonnumquam eam vim videtur habuisse, qua ille alter Menippeae haeresis sectator, Lucianus, Homeri maxime et aliorum versus παρῳδεῖ: ne quid dicam de tragicorum parodiis apud comicos Romanos.

Fr. X, quod respondere nono dixi, habet manifesta metri vestigia, quae recuperandi versus studia elicere possint. Sic nescio an non improbabiles videantur hi septenarii:

Nempe [tú] sues silváticos in móntibus sectáris
Venábulo aut cervós qui tibi nihil mali fecérunt
Verútis.

In primo versu *tu* inserui, quod ut facile intercidere ante *sues* potuit, ita mirifice ipsam vim sententiae auget. De *nempe*, quod pyrrhichium aequat, vide Ritschelii prolegomena in Trinummum Plauti p. CXXXI. In secundo quod tertia sede spondaicae vocis *cervos* finalis accentu insignitur, nulli esse in his versibus offensioni constat: cf. Kraussius nov. mus. Rhen. VIII p. 553. Geminum exemplum Varronianum est Errationis fr. 1

Aut frígidos nimbós aquae cadúciter ruéntis.

Nec haerendum in septimo pede, qui in illis duobus versibus spondeo continetur: quod ut veteribus scaenicis probatum fuit, ita in ea re ab illorum usu non deflectere Varronem aliis, quae per hanc disputationem proferam, exemplis convincam. Alteri versui possis purum iambum in caesura ita refingere:

Vénabulo aut cervós tibi qui nil mali fecérunt.

quamquam vel ea mutatione licet fortasse impune abstinere. Quae sequuntur *ah, artem praeclaram* ea non videntur conclusa versu fuisse. De sententia illud addo, non temere a Varrone immodicum venandi studium carpi, quod idem peculiari satura, cui Meleagrorum nomen praefixit, dedita opera perstrinxit: cuius saturae reliquias, ne nunc nimis disputationis tenor interrumpatur, infra illustrabo.

Deinceps musicus, quo suam artem a contemptu aliorum vindicet, accuratius eius artis praestantiam et indolem exprimere incipit. Se eam profiteri artem, quae ne ab dis quidem aliena sit:

XI (18) *Quam móbilem divúm lyram sol hármoge*
Quadám gubernans mótibus diis veget.

Et quo efficaciam musicae tam in hominum animos quam in brutas illustret, nescis, ait,

XII (2) *saepe totius theatri tibiis crebro flectendo commutare mentes, frigi animos eorum?*

et adiicit illis:

XIII (7) *Non vidisti simulacrum leonis ad Idam eo loco, ubi quondam, subito eum cum vidissent quadrupedem Galli, tympanis adeo fecerunt mansuem, ut tractarent manibus?*

Sic ordinavi, ipsa suadente sententia, haec fragmenta: quorum primum visum est mihi nobilitatam a Pythagoreis sphaerarum harmoniam referre. Et elatiore quodam dicendi genere in hac materia usum esse Varronem ipsi, qui residui sunt, versiculi produnt, qui ut sufficiunt fere ad informandum animo sententiae colorem, ita valde desiderium deperditorum excitant. Ergo mobilem deorum lyram, quae a sole gubernetur, audacula metaphora Varro corporum caelestium orbem dicit, quae perpetuis motibus harmoniam efficiant. Ut aegre nunc cuiquam Oehleri explicatio probetur, qui 'mobilis lyra', ait, 'aut dicitur, quia facili tractatu est, aut quia ad flebiles modos pariter quam ad hilares et iucundos parata et apta est.'

'Harmogen' hoc loco pro harmonia dici apertum est: eadem vi qui eam vocem usurpaverit, e Romanis neminem, e Graecis unum novi Eupolin, de quo Pollux in onomastico IV 57 τὴν δὲ ἁρμονίαν ἁρμογὴν Εὔπολις εἴρηκε

ταύτην ἐγὼ 'ζήτουν πάλαι τὴν ἁρμογήν.

Cf. Meinekius Fragm. com. graec. II p. 432.

'Motus dios' Nonius p. 100, 31 'diutinos ac iuges' explicuit convenienter sententiae, non item usui vocis, quam tamen a Varrone credere in eam vim adhibitam quid vetat? 'Veget' quod hoc loco, ut Nonius adnotat p. 183, 7, dictum est pro 'vegetat' vel 'erigit', in Manio fr. 22 vulgari notione occurrit, ut sit 'vegetum est': *Nec natus est nec morietur, viget, veget, ut pote plurimum.* Attamen, ne quid dissimulem, cum sententiam feliciter, ut puto, eruerim illius fragmenti (XI), de sede ac nexu licet ambigere, ut vel infra locum habere potuerit ibi, ubi ipsius origo musicae a primordiis repetebatur.

Fr. XII suspensam structuram licet praemisso 'nescis' vel simili supplere. Structura ipsa et verborum collocatio, non illa elegans ac venusta, Varroni etiam in saturis facile condonabitur: coniungi autem oportet: *commutare mentes totius theatri* h. e. omnium θεατῶν, ut ne eorum quidem, quod sequitur, ad *theatri* relatum habeat cur addubitetur. Nec magis attingi debent haec: *tibiis crebro flectendo*, quae persentiscitur quid differant ab his *tibias crebro flectendo* vel *tibiis crebro flectendis*. Flectere tibias quid sit, vulgo cognitum est. Sic Lucretius V 1406 *ducere voces et flectere cantus* et Ovidius amorum II 4, 25 *dulce canit flectitque facillima vocem.* Plinius in naturali historia XVI § 171 *postquam varietas accessit et cantus quoque luxuriantes, caedi ante solstitia coeptae et fieri utiles in trimatu, apertioribus earum lingulis ad flectendos sonos.* Hinc autem est quod Oehlerus scribit: 'loquitur de tibicine perito et eleganti': qui quod istis totius fragmenti vim illustrari putat, ostendit se nullam eius partem assecutum esse. *Commutari* quod scribit Scaliger in verborum Varronianorum etymologiis (coni. p. 169), aut errore memoriae fecit, aut quo concinnitas constaret, sequente *frigi* forma pas-

siva. Nam latine recte dici *commutat mens* non fugit Scaligerum, qui ipse saepe notum tironibus usum tetigit: coni. in Varr. de re rust. p. 244. 255. Catal. p. 119. 136. 215 alibi. Cf. Gellius XVIII 12. De voce *frigi*, quam Nonius p. 7, 16 synonymis *friguttire* et *fritinnere* explicuit, vide eundem Scaligerum in etym. verb. l. c. Denique aut fallor aut ne ab hoc quidem fragmento numeri absunt: priora quidem video commode in octonarium trochaicum coire:

Saépe totiús theatri tibiis crebró flectendo

eidemque mensurae, modo *frigier* reponas pro *frigi*, reliqua subduntur:

Cómmutare méntes, frigier ánimos eorum ....

Fr. XIII apposui fere, ut Nonius tradidit p. 483, 12 sub hoc lemmate: '*mansuete' et 'mansues'* (immo *mansuetem* et *mansuem) pro 'mansuetum', ut sit nominativus 'mansues'*. *eo loco* scripsi cum Popma, quoniam quod in libris est *e loco* nisi contorta explicatione vindicari nequit: *eloco (ubi quondam)* pro *ilico*, quod Gulielmus verisim. II 13 (Gruteri Lamp. III p. 289) excogitavit, nihili esse Ritschelius dixit in proleg. p. CXXIII. *fecerunt mansuem* correxit Gulielmus: Nonii exemplaria *ferunt*. Sententia et nexus fragmenti ne Oehlerum quidem fugerunt, qui 'hac narratiuncula' ait 'Varro probare studet mirificam vim illam et efficacitatem, quam musica vel in feras et brutas bestias exercet.' Quod autem eandem fabulam se apud alium quoque scriptorem olim legisse dicit, ego me praeter Varronem nescire alium auctorem fateor. Leonem quam vim habere in cultu magnae deae Phrygum crediderint cum aliunde tum ex Attide Catulliano notum est: eandemque vim breviter Varro expressit apud Augustinum de civitate dei VII 24 *leonem adiungunt solutum ac mansuetum, ut ostendant esse nullum genus terrae tam remotum ac vehementer ferum, quod non subigi colique conveniat.* Cf. Lucretius II 604 sq. Ovidius Fast. IV 215. Vide Creuzer. *Symb. u. Myth. (Deutsche Schriften I 2 p. 378).* Inde proclive est intellegere, qui orta sit illa quam Varro tangit memoria de simulacro leonis, quem Galli quondam tympanis mansuefecerint. Praeter Idaeum autem leonem nescio an

Varro, quo admirabilem vim musicae in feras et omnem naturam rerum insignius illustraret, hoc loco etiam Orpheum, Amphionem, alios tetigerit, quorum cantum et musicam mirabilia procreasse fabulabantur. Sed de quo dicimus fragmentum Kochius in exercitationibus criticis p. 27 in versus distribuit:

Non vidisti leonis simulacrum Idae in loco
Ubi quondam subito cum vidissent quadrupedem
Typanis Galli fecerunt mansuem adeo ut manibus
Tractarent.

Qui quod de galliambis cogitavit, non inepte fecit in eo loco, quo de Gallis et magnae matris cultu agitur. Sed ii versus quo prodirent, quater in tribus versibus transponendi machinam ascivit, *ad Idam e loco* mutavit in *Idae in loco*, denique *eum* delevit. Atqui absque metri necessitate esset, nemo vel in *eum* haereret vel *ad Idam eo loco* facile cum illis *Idae in loco* commutari ferret, quae mihi quidem longius a forma primitiva abesse videntur. Collocationem autem verborum cum considero eam, quam Nonio acceptam referimus: *eum cum vidissent quadrupedem, Galli tympanis adeo fecerunt mansuem ut tractarent manibus*, nescio quem haec mihi nativum et simplicem colorem referre videantur prae illis, quae Kochio placuerunt: *cum vidissent quadrupedem typanis Galli fecerunt mansuem adeo ut manibus tractarent.* Sed versus istos ipsos ne convenire quidem artis legi sentiet, qui Roepero Philologi IX p. 234 sq. adstipulatus cretico finali h. e. anaclomeno catalectico non debere vel purum ionicum vel molossum praemitti arbitrabitur. Nam Kochius, quo ad defendendam eam licentiam, qua 'anaclasim fere syllaba longa praecedat', Varronis exemplo utitur, in eo quidem, modo cetera proba essent, *matri'* scribendo pro *matris* evitare anaclasim licet:

Tibi typana non inanis sonitus matri' deum.

Verum ut incerta iis, quae certa sint, regamus, age breviter eius metri exempla Varroniana omnia expendamus. Inter quae certissimi sunt et scriptura certissima ei versus, quos G. Hermannus in elementis d. m. p. 505 recensuit:

Tua templa ad alta fani properans citus itere

apud Nonium p. 485, 9.

Frygios per ossa cornus liquida canit anima.

Sic enim *frygios* graeca finali scribo Nonium secutus, qui p. 233, 12 *Frygios per . . . canit* et p. 334, 13 *Frigus per . . . anima* tradit. Cf. Ritschelius nov. mus. Rhen. IX p. 17. Quod cum illo trium versuum fragmentum Hermannus copularit, attingam infra. Non minus certa memoria is galliambus est, quem Meinekius primus agnovit:

Spatule eviravit omnis venerivaga pueros.

Haec sunt, quae certissima habeam: unde apparet Varronem et observasse severe caesuram et in priore versus parte, quae est ante caesuram, una forma usum esse ea, qua paeonem tertium excipiat anaclomenos ⏑ ⏑ –́ ⏑ – ⏑ – –. Altera pars versus, quae est catalectica, prioribus duobus exemplis prorsus compar est ita, ut paeonem tertium anaclasis sequatur, arsi in duas breves soluta: ⏑ ⏑ –́ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ –: qua quidem forma nullam frequentius Catullus adhibuit. Tertio versu cum Varro abstineret anaclasi, solvit eam quae praecedit arsim: ⏑ ⏑ ⏑́⏑ ⏑ ⏑ ⏑ –. Cui simile sed non compar est exemplum Catulli LXIII 91 *dea domina Dindymi* a Näkio in schedis criticis (vide opusculorum I p. 36) vindicatum, quod eandem quidem solutionem arsis sed sequente anaclasi praebet. Nec scio an liceat huic Varroniano eandem quae superioribus formam transponendo refingere: *pueros venerivaga.* Ad hanc igitur normam examinemus iam illud fragmentum, quod quasi per partes suas a Nonio traditum Scaliger primus in tres continuos galliambos collegit in Catal. p. 224: deinde Scaligeri non memor in eodem fragmento et conectendo et suis numeris restituendo G. Hermannus elaboravit de metris p. 324 sq. et postea in elementis d. m. p. 506: ut appareat, quo iure Oehlerus ad hoc fragmentum adscripserit: 'ex his frustulis integrum fecimus locum, versibus galliambicis conceptum.' Scribit autem Nonius p. 49, 20 *'tonimus' positum [pro] sonamus cum modo, a tono. Varro Eumenidibus: tibi tympana non inani (inanis* Leid.) *sonitu*

(sonitum Wolfenb. Leid.) *matris deum tonimus. 'Tibinos' a tibiis modos. Varro Eumenidibus: sonitus matris deum tonimus tibinos tibi nunc semiviri.* Idem p. 328, 12: *'iactare', excutere, commovere. Varro Eumenidibus: tibi nunc semiviri teretem comam volantem iactant tibi galli.* Hac triplici memoria secundum Nonii indicia continuata, haec fragmenti conformatio prodit:

Tibi tympana non inanis sonitus matris deum tonimus: tibinos tibi nunc semiviri: teretem comam volantem iactant tibi Galli.

Tripertita autem sententia totidem versibus erit distribuenda. Ac postremi quidem cum hemistichium prius sit omnibus numeris perfectum:

teretem comam volantem,

pars altera, ut a Nonio traditur, a galliambo abhorret: praeterea cum praecedat *tonimus* prima, inconciune dici *iactant* tertia visum est. Utrique incommodo medetur Scaligeri commentum: *Galli tibi iacimus*, quod ita conversum: *tibi Galli iacimus* suum fecit Roeperus. Utriusque formae extant exempla Catulliana, sed illius plura: vide vv. 18. 22. 34. 83. 86, huius unicum v. 60 *stadio et gymnasiis:* qua tamen forma frequentius Graeci usi sunt: cf. Diogenis Laërtii versus apud Hermannum. Atque eiusdem mensurae inter haec ipsa Varroniana hoc est hemistichium: *tibi nunc semiviri.* Possis denique Scaligeranae et Roeperianae restitutioni hanc tertiam adiicere: *Galli iacimu' tibi.* At sic cum tripliciter satis fieri metro possit, infringitur tamen emendatio eo, quod Nonius in lemmate *iactare* posuit, non *iacere*, cuius verbi paullo ante exempla peculiariter adscripsit. Itaque in eo cautius Hermannus, qui sola transpositione defungitur: *iactant Galli tibi*, sed intulit emendando metri formam, cuius certum exemplum non extat. Catullus quidem, apud quem perrara est ea forma anaclasis, noluit ei vel purum ionicum vel molossum praemitti. Vide vv. 14. 35. 76. 78. Sed eiusdem mensurae alterum exemplum ex his Varronianis proferunt:

tibi typana non inani sonitu matris deum.

Ita libri, nisi qnod *inanis sonitus* potius commendant, quod Näkius explicuit l. c. p. 38. Idem probavit in versu Varronis *typana* formam, quam Hermannus restituit: ut iam prius hemistichium eleganter decurrat. In altera parte quod est *matris deum*, cum, quod supra significavi, sic *matri' deum* accommodari metro possit, tamen haeret sententia. Vide enim mihi hanc structuram: *tibi* h. e. matri deum (nec enim qnid aliud cogitetur video) *tonimus non inanis sonitus matris deum.* Hermannus olim *mater deum* scripserat, quod Näkius laudat et firmari codice quodam N. Fabri opinatur, in quo est *matri deum.* Dubito, num ea re valde adiuvetur emendatio Hermanni, quae cum conveniat sententiae, reiectanea tamen est ob insolentiam formae metricae, quam dixi. Quare temptandum aliud est, ac mihi haec *matris deum* (vel potius *matri deum)* interpolationi deberi videntur, qua *tibi* vox explicaretur. Demptis istis proclive est versum resarcire, ut legi conveniat. Repono:

tibi typana, non inanis sonitus, tibi tonimus.

Sic, nisi quod *dea* pro altero *tibi*, olim Scaliger ac nuper Roeperus, quorum tamen neuter de interpolatione cogitavit: quid de illis *matris deum* statuerint, infra apparebit. Itaque primo versu defuncti redimus ad tertium, in quo iam minor vel adeo nulla Hermanniani inventi fides est. Ego dum Nonii scripturam *tibi nunc semiviri teretem comam volantem iactant tibi galli* et necessitatem versus considero, ne *galli* quidem Varronis sed interpolatoris esse mihi persuadeo, qui *semiviri* explicabat. Ergo mancus maneat versus, sed ita ut ne adversetur numeris:

teretem comam volantem iactant tibi ⏑ ⏑ ⏓.

Suppleri potest vel *Cybele*, vel aliud simile. Nec *iactant*, quod supra tetigi, obstare concinnitati concedo, id quod mox patefiet. Restat versus medius: *tibinos tibi nunc semiviri.* Integrum hemistichium posterius:

tibi nunc semiviri,

prius bona parte curtatum. Possis defectum vel ita resarcire

tibinos [canimu' modos]

soluta ionici arsi: molossum in initio hemistichii si non Catul-

lus at Graeci admiserunt. Sed dubitant de sinceritate *tibinos* vocis, quae illo uno Nonii testimonio nititur. Itaque Scaliger hunc versum effecit:

sonitum aeris intonamus: tibi nos semiviri,

unde intellegitur, quid ex his *matris deum* effecerit. Mercerus in loco Nonii non nisi haec Varronis esse affirmat: *Tympana non mani* (sic) *sonitu matris deum tonimus: tibi nos semiviri:* reliqua de tibinis modis mala manu inserta. Hermannus versum, quem olim parum probabiliter ita formaverat:

tonimus modos tibinos

postea mancum adscripsit:

tonimus . . . . . tibi nunc semiviri.

Denique nuper Roeperus, quo tibinos modos evitaret, hunc versum effinxit:

tibi mater, tibi nos nunc tonimus semiviri.

Nec hercle incredibile est, Nonium vel nescio quem bardum *tibi nos* scriptura deceptum, illa de modis tibinis excogitavisse. Quos hinc alienos esse ilico apparet, ubi tribus illis versibus hunc quartum in consortium adieceris

Frygios per ossa cornus liquida canit anima.

Itaque nunc mutila haec forma versus prodit:

tibi nos . . . . . . tibi nunc semiviri

in qua standum erit, ne omnis rei probabilitas pereat. Scaliger quidem paullo insolentius versum explevit, Roeperus, dum bonum versum efferret, parum curavit sententiam. Mihi circumspicienti, quid apte iuxta tympana locum obtineat, cymbala occurrunt (cf. Eum. fr. 35), quae possit, cui ludere libet, ita in lacunam inferre:

tibi nos [cymbala crepimu']: tibi nunc semiviri.

Ut iam haec eorum versuum continuitas ac distributio appareat:

Tibi typana, non inanis sonitus, tibi tonimus:
Tibi nos [cymbala crepimu']: tibi nunc semiviri
Teretem comam volantem iactant: tibi [Cybele]
Frygios per ossa cornus liquida canit anima.

Quibus conferas bos Catulli versus LXIII 20:

Ubi cymbalum sonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita maenades vi iaciunt hederigerae,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant.

In Varronis versibus quod cum sententiarum finibus non accurate conveniunt termini versuum, arti Varronis condonabitur, quem ceteroquin severe hoc genus versuum condidisse vidimus. Itaque redeamus nunc illuc, unde defleximus, ut Kochii galliambos expendamus. Hoc nunc apparet, quo iure scripserit: 'quod anaclasim fere syllaba longa praecedit, eadem licentia invenitur in Varronis sat. 31, 36:

Tibi typana non inanis sonitus mātris deum.'

Recurrunt autem huius licentiae in primo versu duo, in secundo et tertio singula exempla: praeterea iidem tres versus tribus distinguuntur molossis, qui cum non illiciti fuerint Graecis in utriusque hemistichii initio, tamen nescio an casu acciderit, quod cum in sex versibus Varronis nullus inveniatur (semel tantum palimbacchius), fere singuli versus Kochiani singulos efferunt. Ita cum nullus eorum ab elegantia commendabilis exierit, tertius, in quo ille maxime laboravit, adeo deformis officinam reliquit: quando nec dispondeum secundo loco nec choriambum tertio quo tuear invenio. Ergo incudi male tornati versus reddantur.

Verum eidem Kochio duo praeterea galliambici versus debentur, quorum alter Ἑκατομβης fr. 4

Pater ut cruore laveret ararum aggerem

nimirum bisyllaba catalexi, ne hiatus offendat, probus senarius est: quem, si velis, possis sane, velut *altarium* pro *ararum* posito, in bonum galliambum sua legitima catalexi convertere, ut ille Maecenatis versiculus apud Atilium Fortunatianum p. 2677

Hic nympha cingit omnis Acheloum senem

ascita *Acheloio* forma e senario exit galliambus. Ille igitur galliambus cum nullus sit, alterum quem e Mysteriorum fr. 1

Prisca horrida silent oracla crepera in nemoribus, recisa *prisca* voce expiscatur, cum pulchrum dicat, concedo de hemistichio posteriore, prius

horrida silent oracla

ne legitime quidem nedum pulchre paratum est. Nec illud placet, quod *prisca* vox, quae galliambi fini nequit accommodari, recisa in superiorem versum relegatur. At licet possis inde tolerabilem galliambum hoc modo effingere

Prisca horrida silent [nunc] oracla crepera
In nemoribus.

tamen nihil impedit, quominus alia mensura verba vel ita dimetiomur:

prisca hórrida
Siléut oracla crépera in nemoribús . .

Revertitur tandem oratio ad illud fragmentum, unde haec omnis de galliambis disputatio exorsa est: a quo cum Kochii galliambos reppulimus, conflictandum nunc cum iis, quos Roeperus (Philologi IX p. 263) intulit, ïambis

[An] nón vidisti simulacrum leónis ad
Idam c[ó locatum] lóco, ubi quondam súbito cum
Cum quádrupedem vidissent Galli, týmpanis
Adeó fecerunt mánsuem, ut tractarént manu.

Quorum posteriores facile feram, priores quidem, in quibus ille maiora molitus est, non sine offensione leguntur. Nam ne quid dicam de praemissa *an* particula, quam habeo, cur non a Varrone scriptam existimem (cf. Oehl. ed. p. 117 fr. 5; p. 131 fr. 1; p. 133 fr. 12; p. 138 fr. 2; p. 221 fr. 20. 21; p. 236 fr. 1), ne *ad* quidem in fine versus positum ea sede admiserim. Cui geminum exemplum extra systemata ne apud veteres quidem scaenicos invenio. Nam gemina non sunt, quae in Bentleiano Terentii exemplo leguntur: Andriae 629 (IV 1, 5)

Ídnest' verum? ímmo id est génus hominum péssumum, in
Dénegando

Eunuchi prol. 7

Qui béne vertendo et eásdem scribendó male ex
Graecis bonis Latinas fecit nón bonas.

ubi vide adnotationem Bentleii. Ibidem 859 (V 2, 20)

vix me cóntineo quin involem in
Capillum

alia: nam Bentleius voluit eandem rationem etiam in alia monosyllaba valere, ut *ac*, *aut*, *et*, ne *atque* quidem excepto. Sed ea omnia Alfredus Fleckeisenus a nitidissimo suo eius comici exemplo procul habuit. Nec apud Ennium quidem Ribbeckius

ope mea ex
Incértis certos cómpotesque cónsili

tragoediarum reliq. v. 187 sq. pertulit. Varroni concessit Meinekius hos versus Cras Credo Hodie Nihil fr. 1

Quibus instabilis ánimus ardens mútabiliter ávet habere et
Nón habere fástidiliter inconstanti péctore.

Sed ne hoc quidem exemplo, si probatur, Roeperus suum illud firmare poterit. Alterum autem suorum versuum cum tribus elisionibus distinxerit, duae parum elegantiam versus adiuvant, tertia adeo vitiosa est ea, qua ïambicae vocis *loco* finalem coire cum brevi syllaba iussit. Nempe sprevit Lachmanni sententiam, qui ad Lucretii III 941 'nullus' ait 'poëtarum praeter veteres scaenicos vocabulorum ïambicorum vocalem extremam cum brevi syllaba copulavit': et ad eiusdem libri v. 954 p. 199 Varronem inter eos poëtas recenset, qui 'ab elisione vocabulorum ïambicorum omnino abstinuerunt'. Cf. de eiusdem elisionis usu M. Hauptius in observationibus criticis p. 17. Excepit tantummodo Lachmannus de Sotadeis hoc exemplum *equi hinniunt*, l. c. p. 196 (vide indicem lectionum hib. Berol. a. 1849—50 p. 4), de quo suam mihi Roeperus sententiam non probavit l. c. p. 227 et p. 571. Itaque cum ne Roeperi quidem senarii legentis animum expleant, circumspiciendum est aliud, quando numeros quidem satis certa indicia produnt. Repono septenarios trochaicos:

Nón vidisti simulacrum leónis ad Idam eó loco,

Úbi quondam cum súbito eum vidissent Galli quádrupedem,
Týmpanis adeó fecerunt mánsuem ut tractarént manu.

Quos primum commoda membrorum cum versuum finibus congruentia non leviter commendat. *manu* pro *manib:* scripsi cum Roepero in tertio versu, qui ceterum optime fluit. Secundo non licebat sine aliqua machinatione defungi: *cum subito eum* transposui pro *subito eum cum* et *quadrupedem Galli* quod traditur inverso ordine dedi: qua re quod septimi pedis arsis soluta est, id non magis excusatione eget, quam quod duobus prioribus versibus post quartam arsim inciditur: cf. Ritschelii prolegomena in Plauti Trinummum p. CCLXXIV. Primi autem versus, in quo nihil de memoria librorum discessi, nisi quod olim prolatum *eo* pro *e* scripsi, malim sic constituere exitum:

apud Idam ĕó loco.

Illustratæ musicae artis ne a dis quidem alienae sublimitate ac mirifica tam in homines quam in animalia efficacia, artifex ille musicus ultro ad enucleandam eam, qua artis facultas comparetur, viam et rationem defertur. Quam non temere ac dicto aliquo imperioso anquiri docet primum exemplo, apprime ad cavillandum artis calumniatorem apposito. Nec in tragica, ait, arte servus tuus rudis et impolitus, si modo iusseris, confestim partes primarias obtinebit.

XIV (1) *voces Amphionem tragoedum, iubeas Amphionis agere partis, infantiorem quam meus est mulio —*

Ita et capite et fine truncatam sententiam Nonius exhibet p. 56, 9: quam licet integram animo informare, ut ne litterula quidem in tradita scriptura attingatur. Hoc dicit: servo tuo vel mulione meo infantiori Amphionis tragoedi nomen addas, ac iubeas eum Amphionis agere partes: videbis nihil esse, nec quicquam iussu tuo ad artem profici. Servum dici cum ipsa sententia et mulionis commemoratio suadeat, tum ea, cuius Mommsenus me admonet, consuetudo Romanorum mancipia duplici nomine significandi et proprio et quo eorum indicetur officium. Mihi in promptu sunt haec exempla, quae facile, qui curiosius inquirat, accumulare possit: Suetonius in vita Claudii

c. 28: *ac super hos Polybium a studiis, qui saepe inter duos consules ambulabat: sed ante omnes Narcissum ab epistulis et Pallantem a rationibus.* Cf. eundem in vita Augusti c. 67. Plinius epistularum VIII 1: *Encolpius quidem lector, ille seria nostra, ille deliciae, exasperatis faucibus pulvere sanguinem reiecit.* Cicero ep. ad Atticum VIII 5, 1. De Amphione tragoedo numquae forsitan alibi delitescat notitia historica, dicere non possum: nec, si non extiterit, hoc mirum aut singulare apud Varronem, cuius unius memoriae etiam alia quaedam nomina accepta referuntur. Fabulosus ille quidem Amphion, qui Thebanae arci aedificandae lapides cantu movisse ferebatur, ab hoc loco alienus, nisi quod ne illud quidem a more Romano alienum est servis heroum nomina addi: cf. O. Iahnii specim. epigraph. p. 99. Varro de r. r. III 13, 3. Apodosis denique, quae desideratur, enuntiati, quibus expressa verbis fuerit, quis divinet hodie? sententia autem aut nihil aut non multum videtur ab ea diversa fuisse, quam indicavi supra. Haec cum mihi satis, ut in reliquiis, probabilia esse persuadeam, controversiam excitat Roeperus l. c. p. 263, qui et corrupta verba nec qualia adhuc visa sunt, pedestria esse opinatus, refinxit ea in hunc modum:

voces Amphionem
Tragoédum, iubeas pártis agere Amphionis,
Infántiorem [invénies] quam meust múlio.

Sententia, quam non attemptata memoria eruimus, respuit emendationem, maxime eam, quae ne lenitate quidem commendetur: at poscitur numero, cuius tamen ego certa indicia desidero, et quae istam possint vindicare audaciam: quare malim ea cum superioribus pedestria habere. Ut ne de ea quidem forma, quam Roeperus intulit, *meust* satis constet: qualia in hexametris aliena esse a Varrone Lachmannus admonuit ad Lucretii II 829 p. 122. cf. ad II 181. Nec in reliquis versibus paullo certius exemplum invenio. Nam quod Kochius in exercitationibus criticis p. 29 Quinquatrium fr. 1 *Quid medico mihi est opus? nempe tuo, absinthium uti bibam gravem et castoreum, levemque robur?* senariis ita describit

Quid medicó mihi
Opúst? nempe ideo absinthium ut bibám gravem

nulla necessitate transposuit *est* voculam, quae recte locum obtinebat: *mihist Opus?* Nec erat, quod reliqua a communione versuum secluderet, quae sic dimetiare:

Et cástoreum, levémque robur.

Ceterum pulchre ille *ideo* restituit pro *tuo*. Non maiore fide est alterum, quod Roepero l. c. p. 256 debetur, exemplum e Bimarco fr. 14

ébriu's,
Márce, Odyssián enim Homeri rúminari incipis,
Cúm περὶ τρόπων *scripturum té scio recéperis.*

Sic enim *ebriu's* scribendo pro *ebrius es* ea verba, quae ante pedestria habebantur, in numeros vindicavit: sed tamen ita, ut non absit dubitatio maxime de secundo, sive hiatum sive Roepero commendatam *ruminarier* formam admiseris. Nam ne sic quidem meas mihi aures consulenti venustate praestare versiculus videtur. Quid? si ne sunt quidem illi septenarii trochaici: possum falli, sed videntur mihi non minus commode octonarii inde ïambici prodire:

ébrius
Es, Márce, Odyssián enim - Homéri ruminárier
Incipi', cum περὶ τρόπων *scripturum té scio recéperis.*

Intuli et ipse hiatum, sed qui legitimus est in caesura octonarii, ut nec aliena ab hoc genere versuum est ea caesura, qua tertius inciditur, in medio pede quinto. Cf. Kraussius l. c. p. 554. Sed videant de iis versibus peritiores: ego id vincere videor, ne hoc quidem exemplo satis de *ebriu's* forma constare: quam ego non tam defugio anxie, quam nolo nisi indubitato exemplo admittere. Sic *opust* Varroni e codicum vestigiis Müllerus attribuit de lingua Latina VIII 10. Cf. Lachmannus Lucr. p. 29. Illud vero, quod eidem Roepero debetur, monstri simile est *propterst* in hoc Sesquiulixis versu (fr. 10)

Minérva quod proptérst id significáre eum
Proptér doctrinam.

Ita enim ille deformavit fragmentum, quod vulgo sic scribitur: *Quod Minerva propter stetit, significare eum propter doctri-*

nam, ut est apud Nonium p. 367, 17: in cuius libris quod ibidem 29 (bis enim eadem pagina idem fragmentum perscripsit) pro *stetit* exhibetur *est et id*, hoc a Lachmanno ad Lucretii IV 283 ad id genus scripturae refertur, quo *s* impuro in initio vocabulorum *i*, *in*, *hi*, *his*, *e* praemittuntur: ut illa *est et id* non distent ab *estetid* vel *stetit*, quemadmodum *reliquid*, *inquid*, *sid*, *quead* alia scripta in libris inveniuntur pro *reliquit*, *inquit*, *sit*, *queat*. At tamen licet illa *est et id* non minus commode quam in *estetid* vel *stetit* interpretari in *estet id* h. e. *stet id*, quod mihi paullo etiam convenientius sententiae videtur. Ac vel sic numeri verborum apparent, quos ego sic recupero:

. . quod Minérva propter stét, id significáre eum
Própter doctrinam

De producta *stet* forma cf. Ritschelius in prolegomenis ad Plauti Trinummum p. CLXXXIII. Ceterum imperfecta sententia est.

Pergo pertexere nostrae saturae fila. Musicus cum exemplo ostendisset, eam artem non temere ac nullo negotio parari, naturam eius ac rationes discendi expromere instituit:

XV (5) *. primum eam esse fýsicen, quod sit ἔμφυτος*
Ut ipsa vox basis eius.

Musicam artem designari apertum est, et ab Oehlero adnotatum. Id fugit eum, verba sic ut a Nonio perhibentur p. 79, 33, in senarios coire. Quae in initio prioris versus deest syllaba, potest *ac* fuisse, ab inscriptione ὄνος Λυρας absorpta. ἔμφυτος graece scripsi, cum libri *emfytos (emfitos)* tradant: *physicen* autem et *basis* malui latinis litteris scribere: descriptorum in hoc genere fere nulla fides, qui saepissime graeca latinis, nonnumquam etiam, quae mere latina sunt, graecis litteris pingant.

Natura igitur ac indoles cum requiratur ad artem, non tamen, nisi studium accedat et scientia, paullo insignior musicus evadet. Exemplo sunt vinitores et sarcinatrices, qui, ut non destituti sunt indole quadam, ita cum libidinem tantum, non studium sequantur, incondita canunt.

XVI (12) *Homines rusticos in vindemia incondita cantare, sarcinatrices in machinis.*

Sarcinatricis Nonii libri p. 56, 23 bis et in lemmate et in exem-

plo Varronis. Explicatio Nonii haec est: '*Sarcinatricis*', *non ut quidam volunt 'sarcitricis', quasi a sarciendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestium suant.* Sic enim *suant* pro *sumant*, in quo aliquid miri sensit Oehlerus, correxit verissime is, quem ille citavit, Gulielmus in verisimilibus II 12 (Gruteri Lamp. III p. 288) Idem de machinis lepide 'machinae' ait 'pergulae sunt, in quibus sarcinatrices opus factitabant, non hoc modo Minervae, sed alterum quoque illud, ni fallor, Veneris.' Nisi quod de opificio Veneris nihil nos ut cogitemus. verba Varronis adducunt. Alias aliorum de machinis ac sarcinatricibus sententias et testimonia veterum Oehlerus congessit. 'De re' lectorem adire iubet interpretes ad Horatii epistularum II 1, 140 sqq. Ibi enim poëta consuetam Italis gentibus post messem Fescenninorum carminum licentiam describit: at Varro, ut mihi quidem videtur, non istam sollemnem, quae quotannis redibat, licentiam, sed vulgarem vindemiatorum ac sarcinatricum inter laborem cantitandi consuetudinem attingit. De sede ac nexu eius fragmenti fortasse alii aliter sentient, velut non inepte aliquis verba ita interpretetur, ut nativam cuivis homini canendi libidinem significent: quemadmodum ille Callimachi de Hecale versiculus:

Ἀείδει καί πού τις ἀνὴρ ὑδαγητὸς ἱμαῖον.

De quo ingeniosus Callimachei carminis sospitator ita scribit p. 31: 'Fuit aut in laudem dictum, ad declarandum late patentem amorem carminum canendique cupiditatem, hoc fere modo: ego mea mihi parva, sed suavia carmina fingo, poëta modestus: ut omnis homo canit; ut etiam vir ὑδαγητὸς suam cantilenam canit. Aut in reprehensionem contemptumque contra alios.' Itaque potuit musicus nostra illa verba calumniatori, quem vidimus, obiicere hoc fere sensu: Quid me reprehendis, quod cano? nonne vides omnes homines, ut vindemiatores, ut sarcinatrices canendi cupiditate teneri? Non haec improbabiliter: sed mihi, maxime ob *incondita* vocem, ea sententia praeplacuit, quam supra secutus sum, ut inconditi rusticorum cantus exemplo ostendatur, ad artem canendi non suppetere vel indolem vel libidinem, nisi meditatio accedat et scientia: quemadmodum μελέτην καὶ ἐπιστήμην Socrates Platonis in Phaedro praeter indolem requirit ad artem oratoriam.

Scientiam autem qualem significet deinceps persequitur.

XVII (9) *sciéntia*
Dóceat quem ad modum in psalterio éxtendamus nérvias.

Versus distinxi, quos nemodum, quod sciam, versus esse vidit. Ex institutione ac disciplina dicit organa tractandi facultatem parari, et quae sunt alia eius generis, quibus τὰ πρὸ τῆς τέχνης contineantur. Artem tamen ipsam ne his quidem constare: ut qui substiterit in istis facultatibus externis, non possit nisi 'cibarius Aristoxenus' evadere.

XVIII (10) *Tuus autem ipse frater cibarius fuit Aristoxenus.*

In quo fragmento dubium videtur, fratrem utrum cibarium dicat an Aristoxenum. Illud qui amplexus est, Gulielmus in verisimilibus II 18 (Gruteri Lamp. III p. 293) fratrem cibarium eum dici opinatur, 'qui congerroni suo impendio victum curat eique tamquam pro cibo est.' Fuit, qui fratrem cibarium in collactanei notionem adhibitum putaret. Quorum utrum probaveris, talis sententia non poterit musico tradi, immo ea consequens est a calumniatore musicae in contemptum artificis iaci. At cum Gulielmi explicatio longe quaesita videatur, altera parum cibarii significationi conveniat, tum Nonium si audimus p. 93, 14, in eam sententiam ducimur, cibarium Aristoxenum coniungi oportere eisque mediocrem necdum penitus sua arte imbutum musicum designari. Ut Aristoxenus dicatur pro quovis musico, quemadmodum in Eumenidibus fr. 17 Aristoteles pro philosopho quovis. Nec absimilis usus est in hac satura Achillis et in Γνῶθι Σεαυτόν Arati: quo de infra dicam. Nonii autem, qua nitor, explicatio haec est: *'Cibarium', quod nunc aut de pane sordido aut de alio indigno dicatur. Varro Modo: 'in bucolico dormire mallem scilicet, potius vinum meum cibarium, quam ego dominus cubarem?' Idem Onos lyras: 'tuus autem'* c. q. s. *Cicero Tusculanarum lib. V: 'cui cum peregrinanti Aegyptum, comitibus non secutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum illo pane iucundius.'* Iam cum reliqua pateant, quid vetat, in transcursu illi alteri apud Nonium de cibario exemplo Varronis emendatricem, qua maxime indiget, manum adhibere? Adscripsi supra fragmentum, ut Nonii libri praestant, non alio dissensu, quam quod pro *buco-*

lico in Leidensi *cubiculo* scriptum est. Ergo ad coniecturam res rediit, quam fortiter aggressus Oehlerus ita visus est sibi verba Varronis restituisse: *In bucolico dormire mallem scilicet potius, meum vinum cibarium quam ego dominus gustarem.* Quam quidem emendationem hac adnotatione confirmat: 'Retinui *bucolico*, quod interpretandum esse puto de tugurio bucolico, quod sane perincommodum cubiculum est. Verba videntur esse domini vel praebitoris convivii, qui lepide profitetur, se multo potius malle maximas incommoditates perferre, quam cibarium suum, quod in cella servet, vinum gustare. Sed in tam corrupto loco vel coniectura difficilis est.' Haec ille, in quibus ego leporem nullum, ne sanum quidem sensum percipio: nec illud aegre fero, quod infelicem coniecturam peperit, sed confidentiam reprehendo, qua ea, quae ne sibi quidem ipsi satisfacere significat, in Varronis verba temere intulit. Missis igitur istis a Nonii exemplarium scriptura et saniorum criticorum iudicio proficiscamur. Etenim olim Iunius partim veritatem assecutus est partim iuveniendi verum viam aperuit, qui recepta cum Leidensi *cubiculo* lectione pro *dominus* reposuit *domi* et e *potius* subtiliter *potus* elicuit: ut ad Iunii mentem haec sit totius fragmenti conformatio: *In cubiculo dormire mallem, scilicet potus vinum meum cibarium, quam ego domi cubarem.* In quibus primum quod illis *potus vinum meum cibarium* commode respondeat desideratur: id quod e *dominus* scriptura ita naucisci contigit, ut, accepta a Iunio *domi* correctione, etiam propius a librorum memoria *domi ieiunus* scribatur. Eam enim vocem etiam de potus abstinentia dici, ut mittam alia exempla, hi Iuvenalis versus ostendunt XV 47 sqq.

Adde quod et facilis victoria de madidis et
Blaesis atque mero titubantibus. inde virorum
Saltatus nigro tibicine, qualiacumque
Unguenta et flores multaeque in fronte coronae,
Hinc ieiunum odium.

Sed ne altera quidem membrorum oppositio, quae est in his *in cubiculo* et *domi*, legentis animum explet. Quorum membrorum prius videmur coniunctis diversorum codicum testimoniis hoc modo restaurare: *in bucolico cubiculo.* Quod enim

subinde alias accidit, ut e conglutinata demum diversa diversorum testium memoria veritas constaret, hoc in nostro loco ita evenit, ut e duabus non ita dissimilibus vocibus alteram maior pars codicum, alteram unus certe testis non contemnendus perhiberet. Itaque sic demum sententiae suum leporem ac lucem constare arbitror: *In bucolico cubiculo dormire mallem, scilicet potus vinum meum cibarium, quam ego domi ieiunus cubarem.* Sed ne quid dissimulem, fuit cum de *ego* pronomine dubitarem, num sincerum esset, non propter ipsum, sed quod nomen desiderarem, quo accuratius *domi* definiretur, velut *regiae*, quod mirifice vim oppositionis adaugeret. Cui suspitioni forsitan praesidium aliquod e recuperatis numeris accedat: nam insunt sane in illis 'tempora certa modique':

'In bucolico cúbiculo dormire mallem scilicet
Pótus vinum meúm cibariúm, quam regiaé domi
Iéiunus cubárem.

Sententia autem ipsa prodit, quam alienam a sano reliquiarum ordine sedem huic fragmento Oehlerus assignarit. In Modio enim, unde illa sumpta sunt, Varro vitae luxuriam per varia genera ad frugalioris vitae exempla ita exagitabat, ut a generalioribus praeceptis (fr. 5. 6) ad cultus habitusque mollitiem descenderet (fr. 7. 8. 9), ac ciborum intemperantiam (fr. 13. 14. 16. 17) immodicamque compotationum licentiam deinceps cavillaretur. Atque in hac postrema censurae parte nostrum illud fragmentum suam olim sedem habebat iuxta cum his, a quibus iniuria Oehlerus secrevit:

12 *Tremodiam amphoramque eandem temeti ac farris modium.*
11 *Capitis coróna fasciís linit*
Faciem ét labore flátili viridis premit.
10 *Quis póculis argénteis chorum intro ibit popíno?*
15 *'In bucolico* e. q. s..

Quorum quod secundo loco posui foede inquinatum Nonii exemplaria p. 365, 14 hoc modo tradunt: '*Premere*' *tegere.* — — *Varro Modio: 'capitis corona raccitis livei face ut labore flatili viridis premit.'* In quibus unum certissime restituit Scaliger

faciem: reliqua tam Scaligeri quam aliorum commenta nolo nunc, ne longus fiam, accuratius expendere: in quibus sunt quaedam, quae adeo pudeat refellere, nihil me iudice quo emendatio Varronis adinvetur. Dicam breviter, quo modo illa mihi scribenda videantur:

. . capitis coróna baccis Liberi
Faciem út labore flátili viridis premit

sive quo integer versus prodeat:

Capitis corona báccis pictis Liberi.

Nititur haec mea emendatio maximam partem ea qua nihil frequentius *b* et *v* litterarum permutatione. Commoda puto ut in coronis potatoriis uvarum mentio, quemadmodum Bacchum ipsum 'racemiferis frontem circumdatum uvis' Ovidius depinxit metam. III 666. Uvae autem quod baccae Liberi vocantur sine exemplo, ea re non vereor ne probabilitas coniecturae infringatur. Pictae uvae sunt apud eundem Ovidium fastorum III 413 al. Reliqua non tam emendatione quam explicatione indigent, sed non tali, qualis est Oehleriana, laborem flatilem dictum esse ut nostrum *säuselnde* vel *Kühlung bringende Last des Kranzes:* qui cum latinitatem non curaret, debebat per suam ipsius translationem ineptias persentiscere. Non inquiram nunc in aliorum sententias: mihi visum est laborem flatilem de artificio dici conflatura facto. Laborem latine sic usurpari notum est: cf. Valerii Flacci II 409

Dona duci promit chlamydem textosque labores.

Ac flatilis labor Varroni non aliter dicitur quam 'laminae flatiles' Arnobio adv. nat. VI 16, cf. Hildebrandi adn. ad h. l. Itaque consertam pictis uvis coronam Varro ait quasi conflatura fronti affixam sedere: et ea denique oppositionis ratione etiam *viridis* vocis collocatio post haec *ut labore flatili* vindicatur.

Sed tandem relinquenda sunt haec deverticula, ut argumentum nostrae repetamus saturae. Maiora musicus ait ei qui in hac arte elaboret quam illa externa quae dixit appetenda esse. Noverit oportet modorum ac numerorum varias

condiciones et usum multiplicem. Diversos esse modos, ut equorum colores:

XIX (13) *Equi colore dispares itém náti:*
Hic bádius, iste gilvus, ille múrinus.

De equorum coloribus vide Palladium IV 13, 4 p. 948 Gesn. *Item* vocula, quam perperam Iunius mutavit cum *ita* (Non. p. 80, 1), prodit eam disparilitatem colorum esse in comparationem aliquam adhibitam. Quare cum modorum ac numerorum varietas etiam altero, quod statim afferam, fragmento subindicetur, hanc varietatem opinor Varronem conspicua in eqnis colorum diversitate illustrasse.

Nec tamen satis est, cognitos habuisse varios modos numerosque, nisi etiam nsnm eorum edidiceris.

XX (3) *Maeréntis ut quiétus ac demissior probándus,*
Ἀχιλλέως ἡρωϊκός, Ἰωνικὸς κιναίδου.

Sic totidem litteris hos elegantissimos versus Nonius servavit p. 5, 32: quibus cum alii olim importunas manus admovissent, tum novissime Oehlerus hac 'quam unice veram putat esse' coniectura *Ἀχιλλέως ἡρωϊκοῦ Ἰωνικὸς cinaedus*, quae sana et integra sunt, temere corrupit. Qui quidem intellegendo, ut ait ille, fecit nihil ut intellegeret: nam 'loquitur' inquit 'scriptor de pantomimo inde quidem laudando, quod Achillis Briseïdem sibi ereptam vel Patrocli mortem maerentis dolorem quietius ac demissius, quam vulgo solet, repraesentaverat.' Unde haec contorta structura prodiret, *ut merentis Ἀχιλλέως ἡρωϊκοῦ quietus ac demissior Ἰωνικὸς cinaedus probandus.* Placeant haec illi: nos in memoria librorum subsistemus, quae commodam sententiam ac nexum praebeat hoc fere modo: non quivis modus vel numerus cuivis homini ac condicioni cuivis accommodatus: velut maerentis quietus ac demissior modus probandus, Achillis heroicus numerus, cinaedi Ionicus. Achillem, quod supra tetigi, tamquam praecipuam principis carminis personam pro quovis heroe vel nniverso epici carminis argumento adhibuit. Cinaedus quis sit, non est quod edoceam: cinaedo autem, cuius ars ab Ionica mollitie nomen traxit, ap-

paret, quam valde ïonicus numerus conveniat. Cf. eodem Nonii loco citatos versus Lucilii

Stulte saltatum te inter venisse cinaedos

et Plauti e Milite glorioso 668 (III 1, 74)

Tum ád saltandum nón cinaedus málacus aequest átque ego.

Cf. praeterea Stichi scaenam postremam: v. 769 (V 7, 1)

Qui Iónicus aut cinaédicust, qui hoc tále facere póssit?

vv. 760. 772. Pseuduli 1274 (V 1, 29). Vide Lambinum ad Horatii carm. III 6, 21.

Deinceps musicus singulorum numerorum naturam persecutus videtur: de heroici saltem indole eum plura exprompsisse hoc fragmentum indicio est:

XXI (4) *Et id dicunt suam Briseïdem producere, quae eius nervias tractare solebat.*

Haec enim auctore Mommseno ita interpretor, Achillem heroico quidem ubivis numero uti, sed eum modo duriorem modo mitiorem mollioremque sonum referre: eamque mollitiem a Briseïde repeti, quae nervias eius tractare soleat. Ita lepide Varro ipsorum versuum vicissitudinem in personas transtulit eas, quae praecipuas in Homerico carmine partes sustineant. Reliquum est, ut eius fragmenti scriptura dirimatur, primum utrum *nervias* scribatur an *nervia* neutro. Illud enim libri in loco Varronis, quo tamen ipso Nonius videtur neutrum probare voluisse. Sic enim ille p. 215, 13: *'nervi' masculini sunt, sicuti plerumque. 'nervia' feminini apud doctos lectum est saepe. Verum Varro Onos lyras: 'scientia .·. . nervias [XVII].' Neutri Varro Onos lyras: 'et id dicunt'* e. q. s. In Leidensi *nervia neutro apud doctos*, quod mihi sapere interpolationem videtur. Nam quod apud doctos legi *nervias* feminino Nonius dicit, hoc non iniuria ad eum, quem saepissime expilavit, Gellium rettulerunt, qui haec scribit in libro IX 7, 3: *sed de fidibus rarius dictu et mirabilius est: quam rem et alii docti viri et Suetonius etiam Tranquillus in libro ludicrae historiae primo satis compertam esse satisque super ea constare affirmat: nervias in fidibus brumali die*

alias digitis pelli, *alias sonare*. Quare malim in priore exemplo Varronis *nervia* scribi, alteri antem servata *nervias* forma praemitti *Feminini Varro*, hoc modo: '*nervia*' *feminini* — —. *Verum Varro* '. . *extendamus nervia*.' *neutri*. *Feminini Varro* . . '*et id dicunt* . . *nervias*' e. q. s. Praeterea in illis verbis nonnihil offensionis habet *solebat* imperfectum, pro quo ego malim convenientius structurae *soleat* legi. Qnodsi ita scribitnr, ilico metri species prodit, quam sic recupero:

et id dicúnt suam
Briseïdem prodúcere, *eius quae nérvias*
Tractáre soleat.

vel potius mensura octonaria:

Et id dicunt suam Briseïdem prodúcere, *quae eius nérvias*
Tractáre soleat.

De neglecta vi positionis in his *et id dicunt* dicam alibi.

Reliquum est unicum de hac satura fragmentum, de cuius sede ac sententia nihil certius definio:

XXII (20) *Ut cómici*, *cinaédici*, *scaenátici.*

Cuius ne scriptura quidem mihi omni ex parte probatur. Nonii enim libri p. 176, 19: *ut comici nothidi sc.*: unde Scaliger loco, quem p. 10 sq. citavi, pulchre *cinaedici* restituit: sed quosnam comicos dicam, qui non sint scaenici, vel ut Varro loquitnr, scaenatici, ut hi possint illis commode tamquam genns diversum iuxta poni? Quid si iniuria hunc locum comici obtineant, qui debeatur mimicis? Sic enim si Varro scripsit:

ut mimici, *cinaédici*, *scaenátici*

aptissime mimis ac saltatoribus adduntur hi, qui proprie de scaena nomen traxerunt, histriones. Sed haereo de usn eius versiculi: ita potuit Varro ibi, ubi modorum varietatem exponebat, etiam mimicae, cinaedicae, scaenicae artium diversas condiciones et officia perstringere: vel numerorum ac cantus diversitati varios actus eorum artificum ac motus adiungere. Verum ut hoc in incerto relinquo, ita non vereor, ne illo fragmento saturae ea, quam animo concepi, imago vel diluatur vel mira-

biliter adiuvetur et compleatur. Nam licet quaedam aliquaudo aliter ac rectius instituantur, in universum mihi ea, quam tenuibus lineis adumbravi, species videtur non valde a vera et primitiva forma discedere. Velut quod per duas partes argumentum distribui, ἐπίδειξιν dico musici et quae inde fluxit de musica disputationem, id ut ipsis reliquiis commendabatur, ita inde nonnihil praesidii nanciscitur, quod idem componendi artificium duarum praeterea saturarum reliquiae referre videantur. Ad quas antequam pergo, est quod huic tamquam corollarium adiiciam: nunc demum enim cum has chartulas typothetarum erroribus expurgo, contigit, ut perboua L. Krahneri commentatio de Varronis philosophia (Novi Brandenburgi 1846) meas in manus veniret: in qua cum alia praeclara etiam de saturis disputaverit, tum p. 23 fragmenti huius saturae XI eandem quam ego supra p. 15 explicationem secutus est, additis aliis huc pertinentibus, quae nunc non persequar.

II

Earum quas dixi saturarum alteri Varro lepidissime, ut solet, inscripsit

PAPIAPAPAE ΠΕΡΙ ΕΓΚΩΜΙΩΝ.

Cuius indicis vim et rationem apposite Mommseuus vernacule ita expressit *Papperlapapp vom Lobreden.* Formae *papiapapae* licet *butubatta* conferre, quod *pro nugatoriis* positum a Naevio Festus Paulli p. 36 M., *pro nihilo et pro nugis* a Plauto Charisius p. 216 P. testatur. Cf. Ritschelii adn. ad Plauti Pseuduli v. 235. *Ἐγκωμιαστὴν* Varro induxit, qui *ἐγκωμίῳ* saturam auspicatur. Cuius laudatiuunculae reliquias Oehlerus quidem extremas saturae et ordine satis disturbato adscripsit:

11 *Sigilla inpressa in mento Amoris digitulo*
Vestigio demonstrant mollitudinem.

12 *Quos calliblepharo naturali palpebrae*
Tinctae vallatos mobili septo tenent.

13 *Collum procerum, fictum levi marmore,*
Regillam tunicam discingit purpura.

14 *Ante auris modo ex subolibus demittebantur sex cincinni: oculi suppaetuli nigellis pupulis quam hilaritatem significantes animi! rictus parvissimus ut refrenato risu roseo!*

Eorum fragmentorum postremum, ab Oehlero prosa oratione expressum, (omisit incuria vel sua vel typothetarum *parvuli intorti* pone *subolibus*, ut p. 213 fr. 11 *ex arcula* omisit, quae ne in addendis quidem corriguntur) Kochius in exercitationibus criticis p. 28 metricum esse suspicatus, quae a Nonio p. 456, 6 in hunc modum traduntur, *ante auris modo ex subolibus parvuli intorti dimittebantur sed cincinni, oculis supetulis nigellis populi quam hilaritatem significantes animi, rictus parvissimus ut refrenato risu roseo,* eorum

partem, ascitis nonnullis, quas nunc non persequor, aliorum opinationibus, his trochaicis septenariis descripsit:

Nódo intorti ex súbolibus demittebantur párvuli
Séx cincinni, oculi suppaetuli nigellis púpulis.

Mitto alia quae ei obsint restitutioni nec urgeo quod non totum fragmentum licuit eodem numero describere: unum quo ea restauratio metrica diluatur hoc est, quod ceterae, quae cum illo artissime cohaerent, reliquiae probis senariis decurrunt. Neque enim metrorum variatio Varroniana eiusmodi est, ut etiam quae sensu coniunctissima sint forma numerorum dirimi voluerit. Quod quam vim habeat ad versus per has saturas resuscitandos, etiam nonnullis aliis exemplis infra ostendam. Quare hoc nomine prudentius egit Roeperus, qui nescio utrum illa ratione an sensu potius suo ductus totum fragmentum in senarios distribuit l. c. p. 264:

. ánte auris modo éx subolibus párvuli
Intórti demittúntur sex cincinnuli;
Oculi nigellis púpulis suppaétuli
Quandam hilaritatem significantes ánimitus;
[Dentés candentes,] rictus ut parvissimus
Refrénat ore rósea [labra . . .]

In quo praesertim Scaligerum, quem laudat, secutus est, nisi quod duos versus postremos suo periculo paullo violentius adornavit. Quo magis miror eum illud, quod Scaliger recto sensu perspexerat, neglexisse, post *animitus*, ubi Roeperus ipse lacunam statuit, hos duos versus, quos alibi Nonius p. 218, 22 ex eadem satura citavit, inserendos esse:

12 *Quos cálliblepharo náturali pálpebrae*
Tinctáe vallatos móbili saeptó tenent.

Nam Oehlerum non curo, qui quam non potuerit de Scaligero iudicium facere, et re significat et verbis, qui in praefatione p. 19 talia de Scaligero scribere non erubuit: 'parum considerans, fragmenta scriptorum recte corrigere rem esse maxime lubricam et omnium paene difficillimam — — confidentius est Scaliger ut multis in aliis, ita in his Varronis locis sanandis

versatus, ita plerumque, ut, securus de vera sententia scriptoris, prae ingenii exsultantis pruritu quodcunque in solum, ut aiunt, coniiceret, dummodo ingenii acuminis multiplicisque scientiae, qua revera instructus erat, splendori ac nomini satisfaceret.' Nimirum ita de magno viro scribit is, qui ne vidit quidem, quantum hae Varronis reliquiae Scaligero deberent – longe enim plurimos versus, quos nemo antea versus esse agnoverat, sollerti manu Scaliger primus eruit – et saepe prae auro Scaligerano maluit aliorum sordes vel suam iudicii imbecillitatem deamare. Ita ut pauca de multis delibem, cum Περι Αιρεσεων fr. 2 Scaliger in coniectaneis p. 39 ingeniose et emaculasset et versibus descripsisset

Nec in polubro mýstico coquám cárnes
Quibús satullem córpora ac famém véntris,

Oehlerus inquinatam Nonii memoriam p. 171, 14 expressit: *neque in pulvere mythico (mitico* Nonius) *coquam carnes* e. q. s., subiecta hac adnotatione: '*nec in polubro mystico* cj. Scalig. Laurenb., qui versus inesse putant.' Nec minus ingeniose Scaliger Virgulae Divinae fr. 2—5 et conexuit primus et uno eodemque hendecasyllaborum numero dimensus est in Catalectis p. 252:

2 *Et pullos peperit fritinientis*
3 *Quos non lacte novo levata pascat*
4 *Sed pancarpineo cibo coacto*
Libamenta legens caduca victus.
5 *Ad quos tum volucres venit pusillos*
Usque ad limina nidica esca vilis.

Quorum fr. 2 hendecasyllabum esse, monuit etiam Scaligeri non memor Meinekius. Fr. 3 Nonii libri p. 336, 26 *iacta* exhibent, unde Scaliger et Mercerus *lacte* reposuerunt: 'non male', ait Oehlerus benigne indicans, 'modo non de avi verba intelligas. Equidem *iactura nova,* quod *iacta* per compendium scriptum erat, aut *luctu novo* restituendum esse censeo.' Nempe hoc est censere cum sensu metrum pessumdandum esse. Idem nescio quo versuum genere fr. 4 permetiri voluerit, quod ita scribit:

4 *Sed pancarpineo cibo coacto*
Libamenta legens caduca victus.

Denique fr. 5 Nonius bis perhibuit p. 336, 8: '*limen' omnis ingressus* — *Varro V. D.* '*ad quos cum volucris (volucribus* Leid.) *venti ut illos usque ad limina nitida bilis.*' et p. 529, 9 '*vile*' . . *pro frequenti. Varro V. D.* '*atabos (attabos* Wolfenb.) *cum volucres venit apud illos, usque ad limina nidica vilis.*' Ex hac duplici memoria valde depravata Scaliger ingeniose eam quam supra posui scripturam elicuit: quam quidem Oehlerus consueto suo 'inepte' damnavit, ipse '*atavus cum volucris venit apud illos usque ad limina nidi avi* (genit. ab *avus) vilis* (genit. ad *nidi* pertinens) ex sua coniectura scribere conatus', quamquam 'certi nihil potest constitui in loco tam corrupto'. Parcam, ne iudicio aliorum nimis diffisus videar, ista commenta curiosius expendere: hoc moneo, quod Nonii exemplaria altero loco *atabos* pro eo quod est priore *ad quos* exhibent, in eo qui crebram *t* et *d*, *v* et *b* litterarum permutationem meminerit, nihil aliud nisi Scaligero probatum *ad quos* latere sibi persuadebit.

Pariter eiusdem Scaligeri ingenium sed spretum ab Oehlero et aliis explenduit in coagmentandis eius, unde deflexímus, ἐγκωμίου reliquiis, quas ille in Catalectis p. 252 e diversis Nonii latebris collectas hoc ordine descripsit:

I (14) *Ante aures nodo ex subolibus parvoli*
Intorti demittuntur sex cincinnoli:
Oculi subpaetuli, nigellis pupulis,
Quandam hilaritatem significantes animitus.

II (12) *Quos calliblepharo naturali palpebrae*
Tinctae vallatos mobili septo tenent.

I (14) *At rictus oris candidi parvissumus*
Ut refrenato risu roseo *

III (11) *Sigilla in mento impressa amoris digitulo*
Vestigio demonstrant mollitudinem.

IV (13) *Collum procerum fictum levi marmore*
Regillam tunicam diffinitur purpura.

Hoc nexu se olim haec fragmenta excepisse ipsa rei condicio convincit: nec illud dubium, quin Scaliger recte in iis pueruli formosi laudationem agnoverit: in qua Varro deminutivorum usu frequentiore istam enervem καλλιλεξίαν egregie expressit. Desideratur laudatiunculae initium, nec integer est ipse primus versiculus, in quo *nodo* scripsit Scaliger pro eo, quod traditur, *modo*. Neutrum satis placet: ac nescio an et sententiae et versui hac correctione satisfiat *commode:*

Ánte aúris cómmode éx subolíbus párvuli:

quemadmodum Plautus apud Gellium XVIII 12, 3 dicit: *Quid est hoc? rugat pallium: amictus non sum commode.* Cf. Plautus Mostellaria 254: *vide capillum, satin compositust commode?* Versu secundo recte scribi a Scaligero *demittuntur* praesenti pro *dimittebantur*, quod est apud Nonium, et sententiarum continuitas et necessitas metri persuadent. Cuius permutationis temporum in promptu est unum praeterea ex his reliquiis exemplum: Sexagessis fr. 4 *Avidus iudex reum ducit esse κοινὸν Ἑρμῆν:* libri enim p. 283, 18 *ducebat.* Sed valet dictum illud una cum insequenti: *Quod leges iubent, non faciunt: δὸς καὶ λαβὲ fervit animo* in praesentis temporis, quam ibi Varro conqueritur, depravationem. Quae vero a Kochio et Roepero eiusdem corruptelae exempla afferuntur, ea nulla esse et coniecturis corrumpi alibi probabo. Eodem versu *sex cincinnoli* Scaliger et versui convenienter et mori Varronis: libri *sed cincinni.* De his cincinnulis cf. Mülleri adn. ad Festum p. 63. Isidorus in originibus XIX 31, 8. Versui tertio qui insidebant naevi leviusculi — in libris est enim: *oculis supetulis nigellis populi* — eos partim Scaliger partim alii ante Scaligerum absterserunt: quos sequitur Roeperus, qui tamen transposito

oculí nigellis púpulis suppaétuli

elegantiorem reddere versum studuit. Incaute, ut puto, nisi etiam huic de Marcipore versui (fr. 17):

Phrenétici Septémtrionum filii

transponendo

Septémtrionum filii phrenétici

velis legitimam caesuram restituere. Sed ego talia non ausim

Varroni demere, qui ne tales quidem versus, quales hi sunt e satura Est Modus Matulae fr. 6

Vinó nihil iucúndius quisquám bibit.
Hoc cóntinet coágulum convivia.

a sua arte voluit alienos esse. Cf. p. 37. Uni Scaligero debetur proximi versus emendatio, qui in libris ita habetur: *quam hilaritatem significantes animi.* Iam in medio fragmento primo inseri oportere fr. II, et *quos* pronomen et palpebrarum mentio ab oculis non segreganda evincit. Quos versus nescio utrum Nonii consilium an incuria librariorum omiserit: extant in eodem Nonii libro p. 218, 22: ubi quod *calliblefaron . . vallato mobilis septos* scribitur, olim correxerunt. Consilium autem Nonii ita dico, ut cum ad explicandam *rictus* vocem ab initio plura quam opus esset adscripsisset, mox velocius praetermissis mediis ad ipsum quo uti voluit vocabulum festinavisse videatur. Quam quidem festinationem haud mirificam in Nonio possum ni fallor altero exemplo illustrare. E Manio enim Varronis Nonius p. 544, 1 propter *patella* vocem haec verba excerpsit fr. 19: *Quocirca oportet bonum civem legibus parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Sic enim pedestri oratione scribo verba, quae quo numero Oehlerus legi voluerit, cum Basileenses secutus ita distribuat:

Quocirca oportet bonum civem legibus
Parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν
Κρέας

mihi non magis cognitum quam fuit Meinekio. Atqui illa *et deos colere* parum commode, ut puto, statim excipiuntur ab his, quae Larum sacra attineant: *in patellam dare μ. κ.* Ut mihi videatur Nonius, quo citius ad eam, quam explicabat, *patella* vocem perveniret, hoc quoque loco media quaedam transiluisse: quorum pars apud eundem Nonium extat p. 480, 4, ubi ex eadem satura perhibet fr. 20: *non maledicere, pedem in focum non inponere, sacrificari:* quae mihi quidem aptius praemitti illis *in patellam dare μ. κ.* quam iisdem videntur subiungi:

Quocirca oportet bonum civem legibus parere et deos colere —

non maledicere, pedem in focum non inponere, sacrificari, in patellam dare μικρὸν κρέας. Ceterum cf. de his praeceptis Krahneri Varronis Curio p. 12. Sunt alia apud Nonium, in quibus eandem lacunarum rationem constare coniicio, quae nunc mitto.

Versus septimum et octavum, h. c. partem alteram fragmenti primi Nonius mutilos potius quam corruptos tradit: *rictus parvissimus ut refrenato risu roseo.* In quibus quid alii temptaverint non curo: Scaliger, cuius restitutionem supra scripsi, prioris versus integritatem recuperavit eleganter, sed ut facile vincatur ab eo, qui leniorem medelam afferat:

At rictus oris candidi parvissimus
*Ut refrenato risu roseo **

Ac Roeperus in eo probabilius Scaligero egit, quod versum in initio, non in medio, supplevit: ut Nonius una cum superioribus versibus huius voces priores omiserit: quamquam additamentum Roeperi *dentes candentes* non affirmarim manum Varronis referre. Mihi consultius visum est intactam Nonii memoriam relinquere, sic suis versibus distributam:

rictus parvissimus
Ut refrenato risu roseo

Fr. III Nonius p. 135, 22 scribit: *sulla — demonstrat*, unde olim correctum est *sigilla — demonstrant.* Videtur de lacuna in mento dici: ut Appuleius Floridorum II 15 *cervix suci plena, malae uberes, genae teretes ac medio mento lacuna*, et Ovidius artis amatoriae III 283: *Sint modici rictus parvaeque utrimque lacunae.* Sed *sigilla* qui ea notione dixerit, nescio: nec placet pluralis, cui ne favet quidem *demonstrat* scriptura, ut fortasse aliud in illo *sulla* lateat.

Denique ultimo versui labes inhaeret, quam nemodum, ut puto, recte removit. Tradit enim Nonius ita p. 539, 12 '*regilla' vestis diminutive a regia dicta, ut et vasilica: 'an regillam tuniculam indulam an mendiculam? Varro P. 'collum — marmore, regillam tunicam diffingitur purpura.'* Apposui totum lemma Nonianum, in quo insit, quod adiuvare meam opinationem videatur. Puto enim Varronem scripsisse:

Regillam tuniculam distinguit purpura.

In quo versu a metrica ratione nulla offensio, si quidem probantur, quae supra de senariis apud Varronem tetigi. Deminutiva saepius librarii obscurarunt, ut in his ipsis versibus *cincinni* dederunt pro *cincinnulis*. Plura de eodem genere expromam infra. *Regillam tuniculam* habet alterum apud Nonium exemplum, quod de Epidico Plauti est II 2, 39. Nec *diftinguit*, cum commodum sit ad sententiam, nimis a librorum scriptura *diffingitur (diffingit)* discedit. Pro eo quod alii reposuerunt, vel sensu vel versu vel utroque respuitur: velut *diffungitur*, *discingitur:* nec ipsum Scaligeri *diffinitur* habeo qui explicem. Quid vero fiat Oehlero, qui versui in textu ita expresso:

Regillâm tunicam discingit purpurâ

hanc adnotationem subiecit: '*discingit purpura* (= privat 'h. e. praestat) nostra coniectura est.'

Post tot minutias criticas liceat iam ipsum argumentum saturae repetere. Ubi igitur ἐγκωμιαστὴς suam illam laudatiunculam recitavit, ex auditorum corona obtrectatorum voces emergunt. Sic coniicio, sed dubitanter, unum eorum haec in oratorem iecisse:

V (1) *Ille ales gallus, qui suscitabat Atticarum musarum scriptores, an hic qui gregem rabularum?*

Nempe fortasse ἐγκωμιαστὴς iactabundus se gallum oratorum vocaverat in prooemio, quemadmodum musicus in satura Ὄνος λύρας se cantantium dixit gallum gallinaceum. Ut inde orta sit iocosa obtrectatoris alicuius interrogatio, utrum ille gallus sit, a quo Attici scriptores suscitati sint, an hic qui concitare rabularum gregem consueverit. Sed haec ut non pro certis vendito, ita nemini, opinor, Oehleri sententia placebit. Hoc addo recte Mercerum *qui gregem* scripsisse: cum in libris p. 26, 21 sit *quia*, Oehlero probatum: eidem Mercero debetur *atticarum:* codices *aitharum*, Aldina *ait harum*, in quo erit, qui germanam scripturam agnoscat. Denique nisi me fallunt aures numeri insunt:

ille ales gállus
Qui súscitabat Átticarum músarum scriptóres
An hic qui rabularúm gregem.

Transposui *rabularum gregem:* sed incommoda sunt *musarum* spondaicae vocis accentus.

Laudator quod parum plausus tulerit indignabundus Graecos contestatur, quam hi longe se aliter in tali re gesserint.

VI (8) *Hoc Graecis renuntiato, ut facile intellegeres, nos ab his amari, conmurmurantur αὐτοί.*
autoi libri p. 478, 8, quod debebat esse *αὐτοί*. Oehlerus cum ea sic scribat: „*Hoc Graecis renuntiatio, ut facile intellegeres, nos ab his amari*" *conmurmurantur αὐτοί*, nescio nec indicavit ipse, quomodo se vellet intellegi.

At est inter auditores, qui quo leniat laudatoris aegrorem, ut ubivis multitudo invidorum occurrat, ita istam obtrectationem monet ex invidia nasci, quando obtrectatores ipsi sibi in aures susurrent, licere illa vituperare facilius quam imitari. Hoc fere nexu suspicor haec duo fragmenta olim lecta esse:

VII (3) *Omni opstant in ministerio invidum tabes.*

VIII (2) *Quare resides lingulacae, obtrectatores tui, iam nunc murmurantes dicunt: μωμήσεταί τις μᾶλλον ἢ μιμήσεται.*
Opstant scripsi: codices p. 495, 29 *o mi optanti ministerio*, quod. Popma correxit: *inviduum* libri, quod *invidum* esse debere et sententia et explicatio Nonii evincit: *accusativus numeri singularis positus pro genetivo plurali.* Fuit autem fragmentum metricum, quod sic distribuo:

> . . omni opstant in ministerio invidum
> Tabes.

Non puto enim scazontem, qui videatur alicui, fuisse: de quo genere dicam infra quid Varro probarit.

Fr. VIII recte, puto, Mercerus *resides* scripsit pro librorum (p. 26, 17) *residit.* De proverbio graeco hoc animadvertendum, non hic usu vulgato, quo ut nostrum illud *Macht's besser* a confidenti artifice in reprehensores iaci solebat, sed ita adhibitum esse, ut ipsorum obtrectatorum, qui se inferiores artifice sentiant, confessionem contineat. Cf. de usu et origine eius proverbii O. Iahnius *(Berichte d. sächs. Ges. d. Wiss.* 1856 *p.* 287).

Porro nescio quis laudatori suadet, ut alias laudandi materias petat:

IX (9) *Dominum convivi, vinum aliudve quid mi laudato.*

Sic Nonius p. 281, 30, nisi quod *convivii.* Oehlerus, quod alii praeiverunt, *aliudve quidni?* — *laudato!* A quo non multum Gerlachii commentum discedit: *aliudve, quidni laudabo?* Sine ratione utrumque: nam *mi* forma Varroni frequens est pro *mihi*, tam in versibus, cf. Devictorum fr. 2 a Roepero restitutum, quam in pedestri oratione. Et est illud fragmentum metro conceptum:

Dominúm convivi vinum aliudve quíd mi laudató . .

In quo *mihi* dativus, quem ethicum vocant, optime locum tuetur. Nec debuit ea locutio, quae est *aliudve quid*, auferri, qua nihil crebrius sit in Varronis de lingua latina et rerum rusticarum libris.

Et parcendum esse arti censet idem, de qua vulgus imperitorum ne possit quidem rite iudicare:

X (5) *Inperito nonnumquam concha videtur margarita, vitrum smaragdos.*

Merceri est illud, quod scripsi *vitrum*. Nonii libri p. 213, 25 depravate *inperito nonnumquam conca videtur margarita, mutami simargdos.* Unde Gerlachius *putamen smaragdos* elicuit: 'optime', ait Oehlerus, qui illud in textu expressit. Sed ego dum haec Nonii verba considero p. 157, 28 *putamina non solum arborum sunt, verum omnium rerum purgamenta: nam quidquid ex quacumque re proicitur, putamen appellatur. Plautus in Captivis* [655. *III* 4, 122] '*nuculeum amisi, reliqui pigneri putamina.*' parum illius sententiae concinnitati consuli tam generalis notionis vocabulo arbitror. Quare in ea re prudentior Roeperus, qui ita scribit l. c. p. 573:

Ímperito nónnunquam [etiám] concha vidétur
Márgarita, [uél uitrea] pútat esse smarágdos.

Nempe sotadeos esse voluit, qui tamen quaeso quantulum fidei habeant, cum quae metrum paulo certius indicant non libris sed Roeperi debeantur manui. Quare etiamnunc Merceri amplector inventum, quod ne abest quidem tantum a tradita scriptura, quantum videatur alicui. Quippe haec *mutami simargdos* non distant ab his *mutam isimargdos*: et in hac forma

agnosco eum quem supra perstrinxi usum praemissae *s* impuro *i* vel *e* vocalis. *mutam* autem quo corrigatur, non potest vel lenius vel rei accommodatius excogitari quam *vitrum* Merceri.

Supersunt paucae de hac satura reliquiae, quibus non potui in reconcinnato argumento sedem assignare: nisi quod illud diluculo apparet, Varronem praeter demonstrativum, in quo maxime haec satura versatur, eloquentiae genus etiam iudiciale et civile tetigisse. Ad illud refero haec duo fragmenta:

> XI (4) *Praetor vester eripuit mihi pecuniam: de ea questum ad annum veniam ad novum magistratum, cum hic rapo umbram quoque spei devorasset.*

In quo nescio an rectius *devorassit* scribatur. De locutione *ad annum* (ut nostrum *aufs Jahr)* vide Lachmannum ad Lucretii II 44.

> XII (6) *Si et accusator et reus erunt tenebriones, uterque utrumque vituperato.*

Civilem autem facundiam agnosco in hoc fragmento, quod e Merceri coniectura scribo:

> XIII (7) *Qui potest laus videri vera? cum innocuus aeque furaci sit servus, ac nequissimus civis iuxta ac Publius Africanus.*

In quibus facilius est dicere quid displiceat, quam verum divinare ex hac graviter corrupta Nonii memoria p. 322, 6: *qui potest laus videri versa? cum motus saepe furaces essemus, ac nequissimus ibis iuxta ac Publius Africanus.*

Pergo ad tertiam saturam, quam eodem componendi artificio distinctam videri monui, eam, cui pervulgatum *Δελφικὸν γράμμα*

ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ

inscriptum est. Non licuit quidem mihi omnia eius fragmenta suo ordine disponere et illustrare: hoc tamen accurata eorum pervestigatio paullo certius prodidit, agere eam περὶ φιλοσοφίας, et agere ita, ut eis, quibus natura rerum exploretur, indagationibus pror-

sus convenienter Socratis menti opponatur tamquam verior ac sanior ratio ea, quae in hominis naturam inquirat. Extant in his reliquiis diverbii vestigia ac videntur partes ita distributae fuisse, ut primum deditus naturae explorationi philosophus e suo penu inventa quaedam et contemplationes proferret, dein alter, qui nescio an Varro ipse fuerit, reiectis inutilibus istis scrutationibus humanam potissimum naturam examinandam edoceret. Itaque ad illam partem praeter alia nonnulla pertinuisse hos de sideribus versiculos puto:

5 *ut sidéra caeli*
Divúm, circum terram átque axem
Quae vólvuntur motu órbito.

et eum, quem iambionicum esse Lachmannus monuit ad Lucretii IV 1275,

7 *Candéns corpore taúrus trivió lumine lúnae.*

Clausisse autem suam ille ἐπίδειξιν hoc versu videtur:

6 *Non súbsilis ac plaúdis et ab Aráto posces ástricam*
Corónam? quid enim hoc mírius?

Puto enim haec verba sic ut a Nonio p. 135, 27 et p. 374, 13 traduntur, nisi quod p. 374, 13 *subsiliis ac plaudes* est in libris, sesquialterum octonarium referre. Ceterum non eget fragmentum emendatione, quam quidam temere temptarunt, sed explicatione indiget. Nimirum ille non muralem aut civicam coronam expetit, sed ut victor in explicatione astrorum 'astricam': cui formae conferas de Marcipore fr. 15 *chorean astricen.* Et eam coronam lepide iubet ab Arato requiri, poëta phaenomenon, quo carmine siderum apparentium motus descripsit. Quasi cui per carmina tam artum cum astris consortium fuerit, de quo Ovidius (amor. I 15, 15) *cum sole et luna semper Aratus erit,* is etiam coronarum astricarum dispensator extiterit. Itaque simili non compari modo Arati nomen adhibitum est atque eorum, quos supra citavi, Aristoxeni et Aristotelis. *Posces coronam* autem quod Oehlerus iis illustrat, quae in Parmenone leguntur fr. 14 *in argumentis Caecilius poscit*

palmam, confert quae diversa sunt, quorumque diversitatem ipse Nonius significaverat, cum p. 374, 13 illi exemplo hoc lemma *poscere significat petere*, huic vero *poscere accipere* praemisisset. Quae licet mirae sint explicationes, vim tamen verbi utrobique Nonius recte tetigit.

Conclusa illa *ἐπιδείξει* interlocutor eam omnem rationem examinare incipit: nihil esse scrutari caeli plagas, et ea, quae cuivis proxima sint, neglegere. In quo Socratis videtur attestatus auctoritatem esse, qui, ut Cicero ait, primus a rebus occultis et ab ipsa natura involutis avocavit philosophiam et ad vitam communem adduxit. Cf. Platonis Phaedrus p. 229 f et Xenophontis comm. IV 2, 24. Inde enim videtur orta esse interrogatio adversarii, ironiae colore tincta:

1 *Nonne hominem scribunt esse grandibus superciliis, silonem, quadratum, quod Silenus hirsutis superciliis fingeretur?*

Quibus neminem nisi Socratem designari, Tiberius Hemsterhusius perspexit ad Luciani dialogos mortuorum XX 4, allato scholio in Aristophanis nubium v. 223 *ἐλέγετο δὲ ὁ Σωκράτης τὴν ὄψιν Σειληνῷ παρεμφαίνειν· σιμός τε γὰρ καὶ φαλακρὸς ἦν.* Cf. Platonis convivium p. 215b cum Stallbaumii adnotatione. Sed de scriptura eius fragmenti oborta mihi dubitatio est. Illud leviusculum, quod in Nonii libris p. 25, 23 *non unum* legitur, ab Oehlero probabiliter in *hominem* correctum: possis etiam de *homullo* cogitare, quae forma saepius in his reliquiis occurrit. Magis haereo in Nonii, quod verbis Varronis praemisit, lemmate: '*silones*' *superciliis prominentibus dicti, significatione manifesta.* Cui explicationi cum obsit testium aliorum consensus, *silo* et *silus* voces non distare a graeco *σιμός* (cf. Festus p. 340 M. Plinius XI § 158), tum ne suffragatur quidem Varronis exemplum, in quo quod iuxta ponuntur *grandibus superciliis* et *silonem*, dispar locutionum notio proditur: ut in Plauti Rudente 317 (II 2, 12):

Écquem
Recálvom ac siloném senem, statútum, ventriósum,
Tortis supercíliis, contracta frónte, fraudulentum?

At vero Varro ipse, inquit, silonis vim eam, quam Nonius secutus est, additis *quod Silenus hirsutis superciliis fingeretur* signi-

ficavit. Video ea ad Varronis verba ab editoribus referri: quamquam mirere, non ei voci hanc notitiam addi, ad quam maxime pertinebat. Tria enim, vel si tamen *grandibus superciliis silonem* coniungenda sunt, duo, quibus persona Socratis designetur, indicia eduntur: *grandibus superciliis, silo, quadratus:* quorum hoc postremum mediocrem, non gracilem nec obesam viri staturam depingit (cf. H. Brunnii *Gesch. d. griech. Künstler* I p. 220): ut huic quidem epitheto parum apte subiungatur illa de Sileni superciliis adnotatio. Quae mihi videtur aut ipsi Nonio deberi (vide similia additamenta p. 140, 30; 149, 29; 181, 10 al.), aut sciolo, qui Nonianam silonis explicationem affirmare vel complere studebat. Varronis quidem haec tantum esse arbitror: *nonne hominem scribunt esse grandibus superciliis, silonem, quadratum:* quibus addita fuit haud dubie calvities Socratis, quam Varro ipse Sexagessi fr. 1 attingit.

Eidem autem, cuius illa de Socrate interrogatio fuit, etiam haec verba tribuo:

2 *Non animadvertis cetarios, cum videre volunt in mari thunnos, escendere in malum alte, ut penitus per aquam perspiciant pisces?*

De cetariis ac θυννοσκοπίᾳ vide quae Oehlerus attulerit: idem 'Varronis verba ad praeceptum saturae inscriptum referri' iubet. Id quod paullo accuratius ita definio, ut idem, qui modo de sideribus disputaverat, superarum rerum contemplationem etiam ad percipiendam interni hominis cognitionem necessariam esse dicat: quo penitus perspicias hominis naturam, evolandum esse in sidera ait, quemadmodum qui thunnos videre cupiant per mare, alte in malos soleant escendere.

Peracto per diverbii alternationem rationis istius physiologicae examine, ad alterum genus θεωρίας longe illo fructuosius pergitur, quo qui sint secundum naturam perfecti homines quaeritur, ut ad eorum mores nostram accommodemus vitam. Sic enim cohaeserunt olim, ut suspicor, haec fragmenta:

11 *Age, nunc contende alterum genus φιλοθέωρον, ecquid ibi videre sit melius.*

12 *Qui sint secundum naturam perfecti homines, ut non modo eos spectemus, sed etiam imitemur.*

In illo *φιλοθέωρον* *ecquid* scripsi pro vulgato *nequid*, quod quomodo intellexerint interpretes non video. Qui ne in *viderit* quidem, quod traditur (vide Nonium p. 259, 9), quicquam offensionis reppererunt: cuius loco vel *videas* vel *visurus sis* expectaveris: quorum tamen neutrum traditis litteris commendatur. Lenius est, quod reposui, *videre sit*, h. e. liceat videre. Ea enim structura, licet non sit antiquae et germanae latinitatis, usus tamen est Varro et primus quidem, ut Lachmannus monuit ad Lucretii V 533 allato exemplo, quod est apud Gellium XVIII 12, 9 *inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam et Tulliam, est animadvertere.*

Fr. 12 favet, ni fallor, imprimis meae opinationi, hac satura naturae contemplationi opponi eam rationem, quae in moribus et natura hominum versetur.

E ceteris reliquiis, quarum non potui nexum indagare, fr. 9 suis numeris Meinekius restituit:

> . . . . *nón videtis, únus ut Amor párvulus*
> *Árdifeta lámpade arida ágat amantis aéstuantis?*

coniuncto cum catalectico tetrametro acatalecto: quae iunctura habet sua in his Varronianis exempla: cf. Cras Credo Hodie Nihil fr. 1 ab eodem Meinekio recuperatum:

> *Quibus instabilis ánimus ardens mútabiliter ávet habere et*
> *Nón habere, fástidiliter inconstanti péctore.*

Idem e nostrae saturae fr. 10 eosdem numeros trochaicos, abstersis primum naevis quibusdam, emersuros admonuit: emendationem ipsam praeter morem reliquit aliis. Videat igitur vir eximius, numquid ipse excogitaverim, suo quod calculo probet. Ergo Nonius haec scribit p. 140, 16 '*mulicravit*' *ut effeminavit. Varro Gnothi seauton: 'Et rex et misellus ille pauper amat habetque ignem intus acrem: hic efebitum mulieravit, hic ad mecada adulescentem cubiculum pudoris primus polluit.*' In his primum *efebitum* correctione indiget: quam quomodo alii instituerint mitto: sententia unice *ephebi* notionem requiri Ioannes Cauchus vidit in editione Iunii: *medeca* olim editiones omnes et Wolfenbuttelanus: unde ingeniose Scaliger *moechada*

restituit, quod nunc Leidensis et reliqui approbant. Itaque sententiae bene consulitur, ita si scribitur: *Et rex et misellus ille pauper amat habetque ignem intus acrem: hic ephebum mulieravit, hic ad moechada adulescentem cubiculum pudoris primus polluit.* Nempe idem fere Varro quod Horatius dixit in saturis I 4, 27:

Hic nuptarum insanit amoribus, hic puerorum.

Oehlerus enim fere incredibile est quantum in ipsa luce caecutiverit, qui et *effoetum* scribit, et 'cubiculum pudoris' ait 'aut est cubiculum, quod homo pudicus inhabitat, aut quod magis putem, dictum est pro pudore vel pudoris sede. Nam adolescentis corpus adhuc tamquam sedes pudoris est.' Nempe ne vidit quidem *moechada adulescentem* coniungi oportere, quae est nova nupta, quam moechus '*primus*' corrumpit. *Cubiculum pudoris* autem honeste dictum pro thalamo: ut pulchre inter se opponantur amatores, quorum alter nondum devirginatum, ut eum Varrone loquar, puerum, novas nuptas sectatur alter. Sed redeo ad versus, quos puto sic sine offensione legi:

Et rex et misellus ille paúper amat ignémque habet
Íntus acrem: ephébulum hic mulierat, hic ad moéchada
Ádulescentem cúbiculum pudóris primus pólluit.

In primo *ignemque habet* transposui pro *habetque ignem:* in altero ex *efebitum* librorum asciyi consuetam Varroni deminutivi formam: praeterea scripsi *mulierat* praesenti, quod sententiae convenit, eique *hic* pronomen praemisi. Non vereor ne cui hoc nimium machinari ob metra videatur, quando numeris, qui sat certis indiciis produntur, res ipsa poscit satisfieri.

Promisi supra me reliquias eius saturae, cui

MELEAGRI

inscribitur, suo ordine, quoad licet, dispositurum. In ea Varro studia venandi exagitat, ut nuper Mercklinus convenienter argumento περὶ θήρας fuisse alteram eius inscriptionem coniecerit. Eidemque rei aptum esse Meleagrorum nomen sciunt, qui celebris fabulae de apri Calydonii venatione memi-

nerint. Quod autem plurali numero Meleagri inscribitur (nam quod uno e duodecim locis apud Nonium p. 187, 15 *Meleagro* legitur, non obstat), herois illa venatione clari nomine universum venatorum genus designatur: ut Endymiones alii Varronis saturae inscribitur, qua carpi homines somnulenti videntur, ut ei quoque indici, quo argumentum saturae indicetur, haec addi *περὶ ὕπνου* possint.

Per consuetam saturis diverbiorum vicissitudinem rem actam esse reliquiae produnt: cuius colloquii quid ansam dederit fr. 11 subindicatur, quod apte extremae saturae adscribitur:

Funus exsequiati laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii: vale.

Funus igitur fortasse venatoris alicuius temerarii opportunitatem de venatione colloquentibus dedit: nisi ea restant verba de nescio qua narratione, quae argumentum saturae non attingebat. Apertior ceterorum, quae de colloquio residua sunt ipso, nexus ac sententia est. Itaque haec tribuo contemptori venationum:

I (3) *Currere, vigilare, esurire, ecquando haec facere oportet? quam ad finem?*

II (1) *Quaero, utrum fructuis an delectationis causa? si fructuis, ut vendatis*

III (2) *Sin autem delectationis causa venamini, quanto satius est salvis cruribus in circo spectare, quam his descobinatis in silva currere?*

Ab explorando fine venandi orditur ille venationum exagitator: quorsus spectant ista, quae vos venandi causa sustinetis, cursus, vigilia, fames? Cui interroganti cum non satis definite respondisse alter videatur, eandem interrogationem paullo distinctius conceptam refert. Nec enim plura quam responsum, quod significo, puto inter frr. I et II intercidisse: quorum intimam cohaerentiam *quaero* subindicat. Deinceps singulatim primum fructum, si quem ferat venatio, examinat. Si fructus causa venamini, ut vendâtis, quae ceperitis, sunt aliae res,

quibus commodiorem et certiorem quaestum facere possitis. Sic enim fere suppleri fr. II sententiam suspicor. Deinde delectationem, de qua quid protulerit, ipsa loquuntur integra fr. III verba. Admonet autem Varro haud dubie venationum, quae inde ab anno U. 566 inter ludos circenses relatae, paullatim incredibili paene studio excipiebantur, ut non sine ironia quadam illud dici videatur, licere hodie omnibus venationum deliciis in summa tranquillitate frui in circo. De his venationibus vide Friedländerum in Beckeri antiquitatibus Romanis IV p. 522. C. Fr. Hermannum (*Culturgeschichte d. Gr. u. Röm,* II p. 116). In singulis quaedam aliter constitui atque ab Oehlero eduntur. Fr. I *ecquando* scripsi cum Rothio: libri (Non. p. 205, 15) *haec quando.* Fr. II *causas tructuis* codices p. 492, 13: quod ut supra scripsi idem Rothius correxit: 'haud male' iudicat Oehlerus, cui ipsi 'simplicius videbatur scribere *causa? fructuis ut v.,* ut insit affirmatio,' ferē ut Mercerus, qui *fructuis* sine *si* scribit, lacuna post *causa* indicata. At Merceri ratio cum non valde commendetur, Oehlero debebat ipse, quem fecit, ordo fragmentorum ostendere, his quae sunt *sin autem delectationis causa venamini* necessario praecessisse alterum exordiens ab hypothetica particula membrum. De genetivi forma *fructuis,* quam constanter in hoc genere vocabulorum secutum esse Varronem et Nigidium Figulum Gellius tradit IV 16, 1, Oehlerus unum praeterea de his reliquiis exemplum laudavit, *domuis* ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ fr. 6: in eadem satura fr. 24 habetur *fructuis:* tertium restituit Lachmannus ad Lucretii II 1148 ubi PROMETHEI LIBERATI fr. 1 versus esse edocet:

ego infelix nón queam
Vim própulsare atque ínimicum Orco inmíttere.
Nequíquam saepe acrátas manuis cómpedes
Conór revellere.

Alia ex aliis scriptis Varronis permulta Nonius affert: *victuis, senatuis, graduis, anuis, rituis, quaestuis.* In Varronis de lingua latina plerumque oblitteratam eam formam subinde codicum corruptelis prodi O. Müllerus monet in praefatione p. XXXVI. Cf. M. Hertzius de Nigidio Figulo p. 14. Fr. III

scripsi *spectare* cum Turnebo in adversariis XXIX 22: libri (Non. p. 99, 25) *expectare*, quod cum Oehlerus tueatur (esse enim ait ex sede suo spectare vel e longinquo spectare), videat, quo iure incertis et ipsis locis Plauti Aululariae IV 8, 7 et Petronii c. 17 utatur. Certe e Burmanni adnotatione ad Petronii l. c. poterat aliud discere. Ego non dubito, quin *expectare* natum sit ex eo scripturae usu, quem aliquoties tetigi. Cf. p. 29. 49. Similiter *expuere* pro *spuere* in aliquot codicibus Nonii legitur p. 400, 10 in fr. 2 saturae Περὶ Ἐξαγωγῆς. In eodem fragmento est quod in *his* pronomine haereas: pro quo quivis politioris latinitatis auctor *iisdem descobinatis* scripturus fuerit. *Descobinandi* verbo usus est Varro praeterea in Devictis fr. 2, quod Roeperus commode octonariis trochaicis descripsit:

Dicat pugil is: spéctatores qui miserum putátis vinci
Quaéro a vobis, si supercilia ádversariús mi cestis
Déscobinarit [mea], *numquis véstrum sua mihist daturus?*

nisi quod in tertio versu insertum *mea* displicet: defectum malim ascita *numquis nam* forma reparare: ut Terentius in Andria 325 (II 1, 25) *eho dum díc mihi: Númquid nam ampliús tibi cum illa fuit?* Restat postrema vox fr. III *curare*, ut est in libris. 'Recte' dicit Oehlerus: 'est nostrum *schaffen* vel *sich zu schaffen machen*.' Haec ille ne testibus quidem sui praecepti circumspectis: quos ego nullos invenio: quin ne sententiae quidem convenire tam parum definitae notionis vocem concedo. Quare prudentius Iunius, quod unice sensu scriptoris poscitur, restituit *currere*, cuius ego emendationem ita perficio ut *cursare* reponam pro *curare*, quemadmodum eandem vocem F. Haasius, clarissimus collega, correxit in Taciti historiarum libro III 15: *exploratores, ut mos est, longius cursabant:* ubi vulgabatur *curabant*.

Fragmenta 6—10 quae sunt apud Oehlerum cupido venationum laudatori attribuo: de quorum ordine nihil confidentius affirmo, sed probabilitatem secutus seorsum ab Oehlero ita dispono:

IV (6) *Si non malit vir viratus uxorem habere Atalantam.*

V (8) *Aut ille cervum qui currens volabile*
Sparo secutus tragulave traicit.

VI (9) *Quid hic venator non cepit?*

VII (7) *Adde hydram Lernaeam et draconem Hesperidum,*
quod bestiae fuerunt immanes.

VIII (10) *Quem idcirco terra non cepit et caelum recepit.*

Eorum fr. IV tali fere nexu olim legi potuit: Fruatur, cui libet, placida ac deside vita, si non malit, ut praemium laborum, aliquam Atalantam reportare: quae sententia fortasse non longe a frr. II et III distabat. Ad Meleagrum alluditur, qui nobilitata apri Calydonii venatione non modo beluam interemit, sed etiam animosam venatricem Atalantam nactus est. Vide Apollodori narrationem in libro I 8. Cf. L. Prelleri Mythol. Graec. II p. 205 sqq. Difficultatem de scriptura fragmenti Nonii memoria affert, qui p. 187, 15 ita scribit: '*vercium*' *magnarum virium. Varro Meleagro: 'si non malit vir viratius uxorem habere Atalantam.'* nisi quod *viraccius*, *m* supra *s* scripto, Leidensis. Itaque dubitatur primum de ipsa voce, qua uti Nonius voluerit, *viratus* an *viriatus* explicuerit: hoc si voluit, rursus quaeritur, a viribusne an a viriis sit oriundum. Atqui *viriati* formam eadem addita explicatione *magnarum virium* Nonius proxime antecedenti pagina 186, 30 posuit: '*viriatum*' *dictum est magnarum virium. Lucilius lib.* XXVI '*contra flagitium, nescire bello vinci a barbaro viriato Annibale.*' Quod ne quis ita interpretetur, ut Nonius altero loco non possit non aliam a *viriato* diversam vocem adhibuisse, Kochius cavit in exercitationibus p. 26. Quare si ex incolumi scriptura depravatam aestimare volumus, utrobique in *viriati* nomine persistemus: quod cum Nonius a viribus esse dicit, hoc non debet eam vim habere, ut si probabilitas alio ducat, a Nonio non deflectamus. Nec inepte de viriis, non de viribus, cum alii olim, tum Oehlerus et Kochius cogitarunt: quorum ille praeter alia apposite Isidorum affert in originibus XIX 31, 16: *armillae proprie sunt virorum collatae victoriae causa militibus ob armorum virtutem. unde et quondam vulgo viriolae dicebantur*

tur. At in Varronis sententia proxime appositum viri nomen videatur alicui hoc commendare, ut *viratum* h. e. virili ingenio praeditum animo informemus: id quod post alios secutus est Oehlerus, quamquam rationem eius a Luciliani exempli diversitate petitam reiicio. Ea vero controversia quo dirimatur, inde subsidium accedit, quod Kochius in Varronis verbis dactylicos numeros persensit:

Si non
Malit vir viratus habere uxorem Atalantam.

habere uxorem ipsius transpositioni debetur. Nempe hac restauratione Kochius et virati nomen a viro et viriatum a viribus repetitum statuit excludi, admitti autem et viratum a viribus deductum et viriatum, quod est a viriis. At tamen de eius veritate restitutionis mihi scrupulum Scaliger addidit, qui ad Festum s. v. *vivatus* Varroni *viraciam* h. e. ut ipse explicat ἀντιάνειραν vindicat. Id quod cum Nonii memoria adiuvetur, cuius in lemmate est *vercium* et in Varronis exemplo Leidensis quidem *viraccius*, *m* supra *s* scripto, exhibet, tum feminini accusativus, qui ne Oehlero quidem displicuit, apprime loci sententiam illustrat: ut sive *virati* sive *viriati* nomen (nam *viracii* formam Scaligeri non habeo qui tuear) approbatur, hoc certum videatur mihi, non viri sed uxoris requiri epitheton. Unde Kochii versus iam sic mutari debet:

Malit vir viriatam habere uxorem Atalantam

vel si semel admittitur hiatus, eodem iure sine transpositione:

Malit vir viriatam uxorem habere Atalantam.

Viriatam quod posui videtur apte de Atalanta ea vi dici, quam supra ex Isidoro illustravi: de *viratus* voce a viribus dubito, reliqua excluduntur. Hiatus vero, qui est in eo versu, non habet sui simile in eis exemplis, quae Lachmannus ad Lucretii II 991 p. 131 et II 466 p. 100 composuit. Sed habet fortasse geminum in his Varronis reliquiis. Eumenidum enim fr. 17:

Hospes, quid miras animos curare Serapim?
Quid? quasi non curat tantidem Aristoteles?

cum *tantidem* correpta media probari nequeat, videndum est,

ne is versus iniuria pro pentametro habeatur: admisso enim hiatu licet nancisci hexametrum:

Quid? quasi non curet tantidem Aristotelis [vis]?

At hoc utut est, de Kochii hexametro etiam aliunde suboritur dubitatio. Quid enim, si ne sunt quidem illi, quos putavit, dactyli, sed anapaesti? Vide mihi hunc tetrametrum:

Si nón malit vir viriatam uxórem habere Atalántam

pro uno duplici hiatu distinctum. Quorum alterum, qui est in caesura, licet fortasse Plauti exemplis vindicare, qui quod G. Hermannus in elementis d. m. p. 405 animadvertit, asynartetum esse hunc versum voluit. Cf. Militis gloriosi v. 1055 (IV 2, 64):

Exprôme benignum ex te ingenium, urbicape, occisor régum.

Cf. ibid. 1058. Sed sunt ceteri Varronis, qui afferuntur, Aristophanii fere elegantissimi: velut hi, quos ibidem Hermannus p. 411 laudavit, Bimarci fr. 8

Ipsis istis dicite labdae et vivós contemnite vivi,
Anticipate atque addite calcar, stultós contemnite dócti.

et quos primus Meinekius suscitavit: Andabatarum fr. 9

Anima út conclusa in vésica quandóque est arte ligáta
Si pértuderis aëra reddet.

Parmenonis fr. 13:

Demítis acris pectóre curas cantú castaque poësi.

(cf. Lachmannus ad Lucretii III 908.)

Pransi Parati fr. 1:

Luna éxpectant Adriám se itiner longúm sermonè leváre.

Sesquiulixis fr. 15:

Ipsum ávidum vino invitávi poclis large atque benigne.

Quem post Meinekium eodem numero descripsit Roeperus. Qui quos praeterea de eadem satura voluit partes esse Aristophaniorum, eos nihil impedit quominus integros habeamus hexametros: ut ad eam saturam dicam. Addere possum illis tres, qui adhuc delitescebant, tetrametros:

Bimarci fr. 24:

Ipsúm propere vix liberti semiátrati exsequiántur.

in quo *propere* scripsi pro *propter* quod est in libris: quam correctionem non versus gratia factam ad eam saturam defendam sententiamque versus aperiam.

Λογομαχίας fr. unicum:

Haec lánigeras detónderi docuít tunicareque homúllum.

In quo cum Kochius agnovisset numeros (Oehleri aures ut solent hebetiores fuerunt), casu vel infelici festinatione monstri quid peperit in exercitationibus p. 25:

haec
Lanigeras detonderi docuit tunicareque homullum.

Virgulae Divinae fr. 6:

Non quaérendasl hominí, qui habet virtútem, paenula in ímbri.

Hiatum qui est in his *quī habet* eadem ratione vindico, qua consimilia Plauti exempla post Hermannum probavit Ritschelius in prolegomenis ad Trinummum p. CCIII. Nec dispar est hoc exemplum in senariis, qui Roepero debentur, Promethei fr. 16:

id út scias
Audi hóc quod falsum dícis esse, némini
Ocutós opus esse sī́ habeī . . . . .

Sed hoc hiatu multum abest ut ego defensitem illum versum, cuius causa haec disputavi: qui, si est Aristophanius, quod puto, non nisi hoc modo commode legitur:

Si nón malit vir viriatam sĕ habére uxorem Atalántam.

ut hoc sit tertium legitimi illius hiatus cum correptione monosyllabi exemplum Varronis: *se* voculae quam inserui nescio an indicium aliquod in ea scriptura Leidensis extet, quam supra memoravi. Praeterea transposui *habere uxorem.*

Pergo ex longa digressione, quam res ipsa exigebat, ad fr. V:

Aut ille cervum qui currens volabile
Sparo secutus tragulave traicit.

Quod e tali fere comprehensione sumptum videtur: Qua tu putas animi elatione gloriari aut hunc, qui suem silvaticum percussit venabulo, aut illum, qui cervum sparo tragulave traiecit. Cf. Onoc Ayrac fr. X. Scripturam versuum parum accurate Oehlerus diiudicavit. Bis eis utitur Nonius p. 553, 30 *aut ille c. q. uolabile currens sp. s. tragulave traicit*, nec aliter scribit p. 555, 20, nisi quod *secutus est* libri omnes, et unus Wolfenbuttelanus levi errore *gratulave* pro *tragulave*. Iam quo utriusque versus mensura sibi constaret, Iunius hos choliambos in margine editionis suae reposuit:

Aut ille cervum qui volatilém cúrrens
Sparó secutus trágulave tráiécit.

Apparet, quam ille commode aeque ac leniter versibus satisfecerit: a quo cum Oehlerus seorsum iudicare vellet, lapsus est: nec enim cuiquam puto prae Iunii choliambis Oehleri senarios probatum iri:

Aut ille cervum qui currens volabile
Sparo secutus tragulave traicit.

Ne in eo quidem a Iunii partibus discedo, quod *volatilem* scribit, cum libri suadere *volabilem* videantur. id quod Oehlerus analogia aliorum a verbis intransitivis oriundorum firmare studuit: poterant exempla accumulari, poterat admoneri etiam eorum, in quibus linguae usus duplicem formam *bilis* et *tilis* effinxit, velut *versatilis* et *versabilis*, *solutilis* et *solubilis*, de quorum discrimine videantur Reisigii scholae de grammatica latina cum F. Haasii adnotatione p. 162. Nec incredibile est, praeter notas *volatilis* et *volaticus* formas etiam tertiam *volabilis* extitisse: sed quo valde Nonii, licet duplex, testimonium infringitur, hoc est, quod, si optio erat *volatilis* inter et *volabilis*, nostro loco nonnisi illud conveniens fuit: nam ut avis recte dici bestia volabilis possit, ita cervus, quo eius velocitas efferretur, volatilis tantum vocari potuit.

Fragmenta VI. VII. VIII ad Herculem refero, quem nominata fr. VII hydra Lernaea et draco Hesperidum designant aperte. Ergo venator, quo suam artem ab inutilitatis crimine vindicet, Herculis fructuosa humano generi facta asciscit, quemadmodum supra venatione Meleagri in suam partem usus est.

Herculis facinorum recensui praemissum erat fr. VI: *Quid hic venator non cepit?* Sequebatur longa series beluarum manu Herculis interemptarum: inter quas locum haud dubie habebant leo Nemeaeus, Erymanthius aper, alia. Multo plura enim hic prolata fuisse ipsum, quod inde reliqnum est, fragmentum indicat: (VII) *Adde hydram Lernaeam et draconem Hesperidum, quod bestiae fuerunt immanes.* In quibus pro *quod* librorum p. 323, 22 reponi Rothius *quot* suasit: cui correctioni cum snbvenire Bernensis scriptura *quott* videatur, sprevit tamen eam Oehlerus, non ea ratione, qnod in vetustis exemplaribus non raro *quod* scribi pro *quot* novisset (cf. Lachmanns ad Lucretii III 317). Nam idem Modii fr. 7:

quód tum erant in Graécia
Comá promissa, rása barba, pállia
Trahéntes

quot scribit temere, cum nemo dicere possit, quam apte causalis particula olim in integra sententia locum obtinuerit. Et in Flaxtabularum fr. 3 cnm 'omnino probandam' Gnlielmii coniecturam *quot* in adnotatione dicat, scribit in textu: *Atque si addam, quanti misericordia mea haeredibus meis stet, quod miseros sublevaverim!* inepte si causalem particulam voluit. Nec magis ea particula nostro loco convenit: quamquam ego ne Rothii quidem sententiam sequar. Repono *tot*, eo usu, quo saepius *ita, adeo, tam* cum vi quadam in principio sententiarum ponuntur: *Adde hydram Lernaeam et draconem Hesperidum: tot bestiae fuerunt immanes.* Et in hanc vim interpretor Bernensis scripturam *quott*, cuius antiquitns hanc speciem *quot* fuisse snspicor.

Eundem Herculem indicat denique fr. VIII: *Quem idcirco terra non cepit et caelum recepit:* quando Hercules ex incendio Oetaeo in caelum sublatus esse in fabulis ferebatur. Hoc de scriptura adiicio, cum p. 253, 3 Nonii ita tradatur, nt supra scripsi, p. 384, 3 libros omnes *recipit*, et pro *cepit* Leidensem quidem cum Genevensi *caepit* exhibere, in quo correctio librarii, ut fit, cum primitiva scriptura coaluit, nisi quis mavult de eo scribendi genere cogitare, de qno Lachmannus dixit ad Lucretii librum V 1229.

Restant postremo duo fragmenta, aperta illa quidem sententia, et quae olim artissime conexa fuisse manifestum est: sed in qua parte colloquii posita fuerint, dicere non audeo. Venationis enim obtrectator carpit etiam insolentem, quo in venando uti soleant, cultum vestitus: nisi haec non ad venationem potissimum, sed ad vitam communem spectare arbitrere.

IX (4) *Non modo suris apertis sed paene natibus apertis ambulans.*

X (5) *Cum etiam Thais Menandri tunicam demissam habeat ad talos.*

Continuavit haec duo enuntiata Gulielmius in verisimilibus I 15 (Gruteri Lamp. III p. 269): idem quod *ambulas* reponit, non agnosco necessitatem. Nonius utrobique et p. 286, 18 et 536, 29 *tunicam dimissam* et p. 550, 7 *capillo dimisso* in Varronis loco praebet: Horatius quidem in saturis I 2, 99 *ad talos stolam demissam* et ibidem v. 25 Malthinum *tunicis demissis* ambulare dixit. Varronis verba ad Menandri reliquias adscripsit Meinekius p. 74. De tunicarum usu cf. Quintiliani XI 3, 138: *Cui lati clavi ius non erit, ita cingatur, ut tunicae prioribus oris infra genua paullum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. nam infra mulierum est, supra centurionum.* Demissam tunicam fere matronarum esse Horatius indicat in saturis I 2, 94: *matronae praeter faciem nil cernere possis, cetera . . demissa veste tegentis.* Inde mirabundus nescio quis apud Afranium (Non. p. 541, 10, p. 155 Ribbeckii) interrogat:

Meretrix cum veste lónga? — Peregrino in loco
Solént tutandi caúsa sese súmere.

Itaque nunc in fine huius saturae adscribo illud unde exorsi sumus fragmentum:

XI (11) *Funus exsequiati laute ad sepulcrum antiquo more silicernium confecimus, id est περίδειπνον, quo pransi discedentes dicimus alius alii: 'vale.'*

Exsequiati scripsi cum antiquis editionibus: *exsequiatis* libri p. 48, 8: quod Oehlero placuit. *laute* Lipsii est: in libris *laude*. De silicernio cf. Festus p. 294 M. O. Iahnii comm. in Persium p. 219.

III

Compluries in superioribus ad genus metricum deverti, sed ita, ut cum multos versus aut ab aliis aut a me nunc primum recuperatos distinguerem, bonam partem reliquiarum pedestri sermone exaratam relinquerem. A quo longe diversum est iudicium Roeperi, qui pertemptando omnia fragmenta sibi persuasit, immerito adhuc Varronem credi partim πεζὸν ἰέναι partim ἐπὶ τῶν μέτρων βεβηκέναι. Expectare decebit, dum ille facto, quod verbo professus est, praestiterit: interim subvereor, ne illa non placida et humana consultatio reliquiarum fuerit, sed torturae similis inquisitio, qua invitae etiam quae non vera essent responderent. Ita, ne iniquius iudicasse videar, Sesquiulixis fr. 7: *alteram viam deformasse Carneadem virtutis e cupis acris aceti* iussit imperiosius hos pedes numerosque recipere:

> *´Alteram Carnéadem deformásse virtutis viam*
> *´Acris e cupis aceti.*

Nec leniore mente subegit sibi haec verba saturae Exw ce fr. 3: *tela dextra vibrant, russatia emicant, atque insignibus Martis torques aureae scuta caelata Hibero argento gravi crebra fulgent.* Ubi membra, quae ei visa sunt male luxata, ita coaptat crudeliter:

> *tela déxtra russati vibrant,*
> *Émicantque, insígne Martis, tórques aureaé, decus,*
> *Scúta crebra argénto Hibero fúlgent caelatá gravi.*

Ex quibus verbis paullo clementius versus elicuit is, qui ceterum consimilem violentiam in has reliquias ante Roeperum exercuit, Kochius, qui exempli gratia hoc paucorum verborum frustulum Parmenonis fr. 2: *ferens ferream humero bipennem securem* hac specie metrica commendat:

feréns securem humeró bipennem férream,

et quod statim subiungit eiusdem saturae fr. 9: *cavo fonte ut cum inrigavit cavata aurium anfracta in silvam vocans* 'non dubitat, quin eiecto *ut* ita transponendum sit:

Cavó cavata fónte cum inrigávit anfracta aúrium.'

Non nego, si licet ita in truncatas reliquias grassari, facile omnia, quae e saturis afferuntur, et multo etiam plura posse metris ac versibus describi: illorum quae supra posui partem esse re vera versus, et quo modo distribui debeant, alibi ostendam. Sed eam licentiam dubito num ulla possit ratio tueri. Nam quod Nonium, cui potissimam partem horum fragmentorum debemus, omni genere corruptelae inquinatum iactant, hoc ut omnes novimus, ita non tantum valere debet, ut etiam quae ne speciem quidem depravationis prae se ferant, ex arbitrio contrectemus. Cum enim absit disertum de Menippearum forma testimonium (certe locus, modo incorruptus sit, Quintiliani X 1, 95 dissuadeat magis quam commendet opinionem Roeperi), nostrum est e reliquiis discere, quid Varroni in hoc genere litterarum probatum fuerit. Nolo haec nunc persequi longius: immo per saturam ponam a Roepero tractata exempla, ut vel nulla esse ibi metra, ubi ille putavit, vel non ea, quae ei visa sint, ostendam: sumam autem ea, quorum nulla in posterioribus mentio erit: alia licebit data occasione perstringere.

Itaque statim eius saturae, quae prima est apud Oehlerum, Aboriginum fr. 4 *Itaque brevi tempore magna pars in desiderium puparum et sigillorum veniebat* (sic enim Nonius p. 156, 19) Roeperus, quo versus prodirent, in hunc modum deformavit:

. . . . *itaqué brevi magna témpore*
Párs in desidérium puparum ét sigillorúm venit.

vel: *brevi itaque magna tempore.* Neutra collocatio vel a metro venusta: insuavis enim ille tribrachicae vocis accentus *itaqué:* cuius usus quibus finibus in arte Plautina circumscriptus fuerit, Ritschelius docet in prolegomenis ad Trinummum p. CCXXV: altera formatio vitiosam ïambicae vocis elisionem infert, de qua dixi p. 25. Sed ego ne adstipulante

qnidem ea, quae nunc abest, vennstate metri istam facile ferrem transpositionem, qua nativa haec et simplex verborum collocatio *itaque brevi tempore magna pars* fucati metri gratia turbatur. Hoc incaute, illud adeo temere institutum dico, quod *veniebat* imperfectum in praesentis formam mutatur: quis est enim, qui praestet hodie, non necessariam olim in suo conexu ipsam praeteriti formam fuisse? Peccarunt in hoc genere librarii Nonii saepius: audio, quamqnam ne hoc quidem iis quibus Roeperus utitur exemplis constat. Nam quod ΙΠΠΟΚΥΝΟϹ fr. 2 *Apollonium ideo excuriant, quia nihil habebat* senaria mensura describit:

Apóllonium ideo excúriant quia nil habet,

videtur praesenti *habet* favere alterum *excuriant* praesens: nec tamen vel hic desideratur ratio, qua huic historico quod vocant praesenti accommodetur praeteritum. Metro autem cum non uno modo satisfieri possit, nescio an Roeperi senario non deterior sit hic septenarius vel octonarius:

Apollónium ideo excúriant, quia níhil habebat . .

nisi, quo nihil ad versus integritatem desideretur, trimetrum hypercatalectum statuere velis, quod genus versuum attingam infra. De mensura nominis *Apollonii* cf. Ritschelius in prolegomenis p. CXXXVII. ΚΟϹΜΟΤΟΡΥΝΗ autem fr. 1 *Frygio, qui pulvinar poterat pingere, soliar devigebat* quod Roeperus ita describit:

phrýgio qui pulvinar poterat pingere, soliar laéviget,

immemor fuit praecepti Lachmanniani ad Lucretii II 719 vocabula dactylica trochaei loco in versu poni non debere, cui idem alibi, quamqnam non sine dubitatione de veritate eius praecepti, obsecundavit: cf. Philologi IX p. 269 et p. 570. Video etiam Ritschelium in novo museo Rhenano VIII p. 159 ei praecepto, quod non de nihilo esse agnoscit, non tamen simpliciter subscribere. Nec in omnibns qnidem Lachmanno obtemperavit Fleckeisenus in Terentio: cf. Ad. 971 (V 9, 14). Hec. 380 (III 3, 20) al. Atque in his Varronianis cum saturae ΤΟΥ ΠΑΤΡΟϹ ΤΟ ΠΑΙΔΙΟΝ fr. 2 metro conceptum intellegerem, non potui tamen dactylicam vocem pro trochaeo devitare:

'Annos multos quód parere ea non póterat, mulierém foras
Baétere iussit.

Attamen ut hoc largiar Roepero, ne sic quidem concedo de illo versu. Quidni enim servata imperfecti forma sic dimetiar:

Frýgio qui pulvínar poterat pingere soliar dépingebat,

vel si tamen ferri nequit vox dactylica

. . . . *frýgio qui pulvínar poterat pingere*
Sóliar depingébat.

Scribo autem *depingebat*, cum in libris (p. 3, 24) sit *devigebat*, nisi quod ms. Fabri *depigebat*. Scaliger *laevigabat:* Turnebus *defingebat:* denique *denegabat* Oehlerus.

Infelicius etiam, si quid sentio, Roeperus ΓΕΡΟΝΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΥ fr. 10 tractavit: *Novos maritus tacitulus taxim uxoris solvebat cingulum*, quod ita distinguit:

nóvo' maritus tácitus taxim uxóris solvet cingulum.

Illud, quod lepidam et altero Varronis exemplo firmatam locutionem, quae est *tacitulus taxim*, mutavit, infra expendam: nunc de imperfecto agimus: de quo Kochius, quem Roeperus non novit, in exercitationibus p. 24 caute ait: 'audaculum sit *solvebat* mutare in *solvit*, quamvis ita proditurus sit tetr. troch.:

Nóvus maritus tacitulus taxim uxóris solvit cingulum.'

At vero quod illis exemplis cautio suadebat intactum relinqui, eius in hoc demonstrari necessitas e conexu saturae potest. Varro enim, id quod in promptu erat intellegere, in hac satura cum de aliis rebus tum de Romanae coniugis vita pristini temporis virtuti ac sanctimoniae depravatos novae aetatis mores opponit. Cf. supra p. 6 sq. et Mommsenus in historia Romana III p. 589. Ex illius descriptione, quod res ipsa docet, sumptum est hoc de quo dicimus fragmentum, cui ne deest quidem quod ex altera parte respondeat. Nempe ita fere Varro: *Olim novus maritus uxoris, quam rite duxerat, cingulum in lecto geniali tacitus solvebat: nunc virgo Romana temere rapta a nescio quo mulione raptoris ramices rumpit.* Sic enim coniungi debebant frr. 10 et 8. Ut appareat, quam non debuerit *solvebat*

attingi. Ac licet, opinor, intaminata memoria metri desiderium explere. Vide mihi hunc septenarium ïambicum:

Novós maritus tácitulus taxim úxoris solvébat
Cingíllum.

In quo quod *cingillum* posui pro *cingulum*, ne id quidem numerorum necessitati debetur, sed ipsa Nonii auctoritate suadetur, qui ita scribit p. 47, 27: *'Cingillum' a cingendo, quod 'incingulum' plerumque dicitur. Varro '. . . solvebat cingulum.' Incingulum*, quod non nego potuisse dici, hoc uno testimonio Nonii (alterum enim mihi incompertum est) non multum fidei nanciscitur: immo cum frequens sit *cingulum*, paullo autem rarius *cingillum*, probabile est, Nonium ita scripsisse: *'cingillum' . . quod 'cingulum' plerumque dicitur*, eandemque formam fuisse in Varronis quo utitur exemplo. Sic *cingillo* pro *cingulo* videtur Paulo breviatori Festi p. 63 M. e 'bonorum codicum' scriptura *cingilio* restituendum. *Incingulum* apud Nonium unde ortum sit dicere non possum, nisi forte olim *Varro in Gerontodidascalo* extabat, unde praepositio falsam sedem occupavit. *Uxoris* vox molossica quod duplici accentu insignitur ea quidem sede, non maiori offensioni est, quam quod idem Varro in senario dicit Promethei fr. 5

Levis mens numquam sómnurnas imágines
Adfátur,

ubi iniuria nonnulli de *somnurnas* vocabulo dubitarunt: nec *levis* recte videntur accepisse, quod cavendum est ne quis cum *mens* coniungat: ad *imagines* enim relatum fluxas somniorum species designat. Nec latinitatis peritus haerebit in duplici epitheto, quando in unam notionem coëunt haec *somnurnas imagines*, prorsus ut nos dicimus *leichte Traumgebilde*. De qua duplicis epitheti ratione quaedam subtiliter, ut solet, Näkius ad Valerium Catonem p. 283 disputavit. Ex eo genere est Flori exemplum (p. XLII 16 Iahni), praeclara Schopeni emendatione restitutum: *primum Siciliam nobilem vidi domesticam Cereris sedem, deinde Creten*, cum in codice scribatur *Cereris. secundam deinde:* quam iniuria opinor O. Iahnius sprevit, non recte neque e sensu auctoris C. Halmius accepit: voluit enim haud dubie *nobilem domesticam sedem* coniungi. Sed quod

Kochius comparis molossi exemplum in septenario trochaico agnovisse sibi visus est, in eo nescio an cum opinio fefellerit. Saturae enim Ευρεν η λοπας το πωμα fr. 3 *Cuius ubi annis multis masculi vestigium inventum est* transponendo septenarios numeros restituit in exercitationibus p. 23:

Cúius ubi annis múltis masculi inventumst vestigium.

De cuius forma metrica cum non addubitem, haereo nonnihil in sententia, qua mihi mire dici videtur, multis annis i. e. continuis, ut Nonius explicat p. 526, 15, inventum ac non potius non inventum esse masculi vestigium. Ut non transponendo sed omittendo librarios peccavisse putaverim. Repono enim:

Cuius ubi annis múltis [nullum] másculi vestigium
'Inventumst.

Quid in vocabulorum molossicorum veteres scaenici probaverint, vide in Ritschelii prolegomenis ad Trinummum p. CCXIV. Cf. idem ad Mil. glor. v. 502. Neque aequantes molossi mensuram voces choriambicas eadem sede versus Varro vitavit, qui ita scribit in senario Agathonis fr. 6:

Neque aúro aut genere aut múltiplici sciéntia.

Sed haec in transcursu. Imperfecti perperam illati exempla quae certa sint vide p. 43. Pergo ad alium qui Roeperi arbitrio debetur ex eisdem Aboriginibus versum. Fr. 3 enim: *sed neque vetulus canterius quam novellus melior, nec canitudini comes virtus*, quo metricum exhiberet, triplicem formam proposuit:

. . . . *sed néque vetulu' cantérius*
Quám novellus mélior [est], nec cánitudini comes
Virtus.

vel: . . . . *sed vétulu' neque cantérius*
vel potius: . . . . *séd neque vetu' cantérius.*
Pertemptavit plura: probabile nihil. Nam si illi sunt veri versus, quod sane alter eorum credibile reddit, vix dubium esse potest, quin prioris olim haec forma fuerit:

. . . . *sed néc vetulus cantérius.*

Anapaesticum enim vocabulum, quod praemissa monosyllaba voce in choriambici speciem coalescit, eodem iure feremus, quo supra molossicum et choriambicum vindicavimus. Cf. Ritschelii prolegomena ad Trinummum p. CCXIII. In Roeperi autem versu non est, quod aut insuavem *vetúlu'* accentum aut improbabilem verborum collocationem *vetulu' neque*, quibus ipse diffisus est, exagitemus. Tertio autem, quod maxime commendat, exemplo videamus quo iure deminutivi formam a librariis perperam invectam detriverit. Non illud premo, quod ipsa haec *vetulus* — *novellus* copulatio deminutivum utrobique tueri videatur. Manca enim concinnitate idem Varro rerum rusticarum libro II 3, 1 *novella enim quam vetus melior (utilior)*: cum ibidem II 5, 5 *tertia boum novellorum, quarta vetulorum*. Sed Varro omnino amantissimus est earum formarum, ut, nisi cogare ratione, nolis ei suas delicias demere: ac saepius video a librariis oblitteratas eas formas quam perperam illatas. Vide quae de saturae PAPIAPAPAE frr. I—IV diximus p. 43 et 46. Sic Lachmannus ad Lucretii III 628 ascita *puellulae* forma pro *puellae* librorum nitidos Sotadeos restituit. Cf. eundem in indice lect. Berol. hib. MDCCCXLIX—L p. 5. Ac Roeperus ipse bis in SESQUIULIXIS versibus, quos putabat, deminutivas ascivit, iniuria ibi quidem, ut ad eam saturam dicam. Nec in versibus tantum, sed etiam in pedestri sermone Varro frequentiori deminutivorum usui indulsit. Sic ille apud Nonium p. 550, 5 in libris de vita populi Romani: *propinquae adulescentulae etiam anthracinis, proxumae amiculo nigello, capillo dimisso sequerentur luctum*. Cf. Nonius p. 548, 30. Nihilo tamen minus Roeperus, cum bis apud Varronem haec locutio *tacitulus taxim* obviam fiat, utrobique reponit *tacitus taxim*, ut est apud Pomponium in Buccone adoptato p. 178, 20 Nonii, p. 193 Ribb. Vindicavimus supra alterum exemplum, in quo non vereor, ne quis propter *taciturus* scripturam codicum nonnullorum de veritate lectionis *tacitulus* addubitet. Alterum exemplum hoc est e MODIO apud Nonium p. 550, 17 *hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi lapatio et tisana possum*. Cuius partem cum Meinekius in septenarii formam redegisset hoc modo:

tacitulus taxim cónsequi lapáthio et ptisana póssum,

in quo quod *tacitulus* secunda accentum habet, ne eget quidem excusatione, licet altera ratio longe frequentissima sit, Roeperus Meinekii immemor totum fragmentum senariis descripsit:

hanc
Eandém voluptatem tácitus taxim cónsequi
Lapáthio et ptisana póssum.

Quodsi quis hanc conformationem praeferat, non potest alio niti, quam quod hoc exemplum totum decurrat versibus, in altero pedestrem orationem versus excipiat. Id quod ego tantum valere sentio, ut, etiam prioribus verbis metro inclusis, aliquantulum probabilitatis accedere Meinekianae restitutioni dicam. Nam ne hoc quidem suis exemplis caret, Varronem eodem sententiae ambitu prosario sermoni versus continuasse vel invicem. Velut, ut e contrario genere exemplum ponam, Eumenidum fr. 29 idem Meinekius ita verissime adornavit:

Et écce de improviso ad nos accédit cana Véritas,
Attices philosophiae alumna.

Vide quae de insertis a Varrone in suam orationem poëtarum aliorum versibus monui p. 12 sq. Atqui est sane duriusculus hic septenarii exitus:

hánc eandem voluptátem.

Ut ea aut pedestria habeamus, aut vel ita refingamus:

hanc eándem [enim] voluptátem.

Sed hoc utut est, Roeperum apparet incaute locutionem *tacitulus taxim* delevisse: qui alibi quoque, cum septenarios non attenderet, Varronis reliquias male tractavit. Sic Virgulae Divinae fr. 9 (Non. p. 550, 12) *oleum in lucubrationem servavimus, quam in sparagos totum legitum evertamus,* cum recte vidisset versus contiuere, violentius hos senarios effinxit:

oleum
In lúcubratiónem [con]servábimus
Quam in spáragos evertámus totam lécythum.

Recta mensura docet, nihil hic vel transponendo vel omittendo peccatum esse a librariis. Sic enim dimetior:

oleum in lúcubratiónem
Servábimus quam in spáragos totam lécythum evertámus.

Roepero *totam* debetur. *lecythum* pulchra emendatio Rothii est. *servabimus* Oehlerus correxit, qui non debebat dubitare eandem correctionem Tanaquilis fragmento unico adhibere: *Non modo absens quicquam de te sequius cogitavit, sed etiam ruminabitur humanitatem.* Cuius fragmenti partem priorem Kochius in exercitationibus p. 31 in septenarii trochaici formam rédegit:

Nón modo absens quicquam de te cógitabit séquius.

Quae restitutio cum nunc reprobetur eis, quae Fleckeisenus in novo museo Rhenano VIII p. 223 de vocis *sequius* quantitate docuit, tum possum absque transpositione totam sententiam suis numeris reddere:

. nón modo absens quicquam de te séquius cogitábit,
Sed étiam ruminábitur humánitatem.

Ut hoc nunc tertium exemplum iis accedat, quibus Fleckeisenus *sequius* prima brevi esse ostendit. Alter versus non dirimo utrum truncatus sit septenarius, an trimeter ïambicus hypercatalectus, quem vocant: quod genus ibidem Fleckeisenus tetigit: in neutra mensura syllaba anceps, quae est in *ruminabitur*, quicquam offensionis habet.

Habeo denique unum etiam deminutivi exemplum a Roepero detritum. Devictorum enim fr. 3 *libet me epigrammatia facere, et quoniam nomina non memini, quod in solum mihi venerit ponam*, cum verissime sensisset numeros offerre, hos inde senarios effinxit:

Libét me epigrammata fácere, et quoniam nómina
Non mémini, quodquod in solum mihi vénerit
Ponám.

Pro simplici *quod* reposuit *quodquod* et scripsit *epigrammata*. Utitur in hac re, ut saepe alibi, aliquot antiquarum Nonii editionum auctoritate, quam ego, ut nunc res est omnis Noniana, aut nihil aut perpaucum valere arbitror. Sed voluit haud dubie Roeperus eam, quae *epigrammatia* forma infertur, positionem neglectam devitare: quae si vera erat offensio, praestabat

supervacaneam *me* voculam eiicere, quam deminutivi formam demere. At nec illam missam facio (quam nunc non licet Plauti Mercatoris versu I 2, 19, v. 128 Ritschelii firmare), nec *epigrammatia* muto. Nam ne Ritschelium quidem puto nunc pari acrimonia eam omnem neglectae positionis quam vocant licentiam exagitare, qua in prolegomenis p. CXVIII sqq. hoc genus, in quo indulgentior fuerat Bentleius, persecutus est. Atque ut Fleckeisenus Terentio vindicavit haec: *Et id grátum. studet pár referre. amat dábitur*, alia, ita Varroni et illud relinquo: *libet me épigrammátia*, et quod p. 37 attuli: *et id dicunt.* Quibus addi fortasse tertium potest de Armorum Iudicio fr. 1: quod metricum esse vel haec *digitulis primoribus* indicant:

Ut in litore cancri digitulis primóribus
Stare.

Nisi praestat ea, quam Fleckeisenus mihi significavit, mensura trochaica:

ut in litore
Cáncri digitulis primoribús stare . . . . .

Digitulis verissima est Oehleri emendatio, *digitibus* libri: unde olim *digitis* legebatur. Locutionem *digitulis primoribus* illustrat ille Plauti Poenuli III 1, 63: addo eiusdem Bacchidum v. 675 (IV 4, 24) et Turpilii v. 31 Ribb. De similiter neglecta vi positionis in medio cretico dicam infra.

Defungar duobus praeterea Roeperianae criticae exemplis: alia data opportunitate attingam. Flaxtabularum fr. 5 ita scribitur in libris (Non. p. 82, 13): *nec dolore adiafuron esse, quod philosophia conmalaxarem ea patrem neque irato mihi avenas dedi umquam, neque cupiditas non inposuit frenos.* In quibus cum olim alii alia correxissent, Roeperus ea et versus esse et ita emendanda putavit:

Néc [dubito] dolére adiaphoron ésse: quod philósophia
Cónmalaxari ánimum et arte néque dedi irató mihi
Unquam habenas néc mi frenos imposivit cúpiditas.

vel: *U. h. néque cupiditas imposuit frenós mihi.*

Nihil dicam de mutandi moliminibus, quorum insolens licentia neminem fugit: nec excutiam versus, in quibus est quod re-

prehendatur. Ne sententia quidem ipsa et verba, ut ille constitnit, mihi satisfaciunt: velut quod philosophiae suo periculo artem subiecit, et elevat sensum scriptoris, nec conveniens arti commalaxandi verbnm, quo rigor philosophiae maxime stoicae, quam ἀδιάφορον illud subindicat, commode designatur. Non magis sententiae congruum, quod scribit *nec mi frenos imposuit cupiditas*, cum frenorum loco calcaria potius expectes. Hoc enim dicit ille, quisquis est, quem philosophia commalaxavit, nec irae se indulsisse et cupiditatem refrenasse. Sed hanc postremam partem sententiae pridem probabiliter Popma restituit: *neque irato mihi habenas dedi umquam*, *neque cupiditati non imposui frenos*. In initio enuntiati *dolore* non posse verum esse, olim perspectum est: licet addubites, utrum cum Iunio *dolorem* an cum Mercero corrigas *dolere*. Haec vero *nec dolorem adiafuron esse* non dubito quin ad amissam superioris sententiae partem pertineant. Nam quod Oehlerus in unius comprehensionis ambitum coaptat haec: *nec dolore ἀδιάφορον esse*, *quod philosophia* (sc. statuit), *commalaxarem in eam partem*, quodque Kochius incaute illius emendatione nisus excogitavit, *nec dolere ἀδιάφορον esse*, *quit philosophia commalaxare me in eam partem*, improbabile utrumque. Immo ab his *quod philosophia* novum incipit enuntiatum, quod ego propius a librorum memoria ita corrigendum arbitror: *quod philosophia conmalaxaram me apathem, neque irato mihi* c. q. s. Illud quod scribo *conmalaxaram* meum est: reliqua *me apathem* praeclare Popma restituit. Itaque emergit nunc haec totius fragmenti species: — *nec dolorem adiafuron esse. quod philosophia conmalaxaram me apathem, neque irato mihi habenas dedi umquam, neque cupiditati non inposui frenos.* In quibus nescio an acriores aures numerorum quid persentiscant: me fateor nihil ibi nisi probam orationem pedestrem agnoscere. Ut iam nullum sit e sex eius saturae fragmentis quod metri speciem afferat. Quod tamen cavendum est ne quis cupidius in eam sententiam interpretetur, omnino ab hac satura olim versus fuisse exclusos: quamquam ne hoc quidem umquam factum esse quis praefracte neget? Nescio an illud etiam admonere debeam, *conmalaxaram me apathem* consueta prolepsi, quam

grammatici vocant, dici: cuius non planius ac lepidius simul exemplum novi illo apud Iuvenalem VI 160: *et vetus indulget senibus clementia porcis:* quode vide Heinrichii commentarium. De *ἀδιαφορίᾳ* et *ἀπαθείᾳ* Stoicorum vide I. Lipsii manuductionis III diss. VII. Opp. IV p. 771. *adiafuron* reliqui, quo constet haec graecarum vocum scriptura, cuius nuper exempla nonnulla tetigi in novo museo Rhen. XI p. 590. Cf. Ritschelius ibid. XII p. 109. E Varronianis ex eodem genere in promptu est *Autumedo* in Maniı fr. 1, quod Kochius speciose magis quam vere emendavit. Alius generis est *rutundus* Ammon Metpeic fr. 4: de quo Lachmannus ad Lucretii librum II 402.

Alterum, quod dixi, a Roepero tractatum exemplum legitur in satura Tov Πατροc Το Παιδιον fr. 4 *ac quare, si diu gens est ad amussim, per me licet adsumas teneo διάκον.* Sic libri Nonii p. 9, 15, nisi quod *ac* omisit Leidensis et Bambergensis, quam particulam puto ex tituli exitu ortam esse: Παιδοποιϊαc *Quare.* Sic enim saepius peccarunt librarii, ut p. 71, 30 *περὶ εὐτερία ac tu quidem:* fuit enim *περὶ* Εντηρiac *Tuq; idem.* Sed hoc leviusculum: graviora restant in ipso fragmento: quod Oehlerus 'coniectura certissima' sibi visus est restituisse in hunc modum: *Quare si Diogenes est ad amussim, per me licet adsumas γενεθλιακόν.* Vellem is suum inventum verbo explicuisset: nam quae subiecit: 'Diogenes fortasse est ille Babylonius, Stoicus celeberrimus, cuius librum de divinatione saepius laudat Cicero in suo cognomini', nec emendationi fidem nec lucem sententiae afferunt. Sed hanc quidem, ut omittam alios, verissime Roeperus percepit:

quáre si ad divós tibi
Gens éx amussim [pértinet], per mé licet
Adsúmas stemma Διακόν.

Lepide enim ei, qui nobile et adeo divinum genus suum iactaverat, nescio quis ita respondet, ut per se quidem licere dicat illi vel a Iove ipso suam repetere gentem. Atque haec quidem sententia, quae nescio quam egregie Varronis mentem referat, vel e gravi corruptela verborum dispicitur. Quare videbor mihi omne punctum tulisse, si lenius Roepero,

qui ne hic quidem violenta medela abstinuit, illam refingere sententiam contigerit. Ergo vide mihi primum haec: *quare si dium genus est ad amussim* sive mavis *divum gens:* neutra correctio, quarum illa Palmerii est, ita a libris discedit (*diu gens*), ut vel excusatione indigeat. Ac licet, si tanti est, utramque locutionem Catulli exemplis firmare: LXIV 23 *Heroes salvete, deum genus, o bona mater*, et apud interpretem Vergilii Veron. ad Aen. V 80 *salvete, deum gens, o bona matrum progenies.* Nanciscimur autem illis bonum hexametrum capite truncatum:

. . *quare si dium genus est ad amussim.*

Eiusdemque metri speciem prae se ferunt haec quae sequuntur:

. *per me licet adsumas.*

Proxima *teneo διακον* paullo graviorem labem traxerunt: quamquam in *teneo* latere *stemma* nemini Roeperus persuadebit. Repono confidenter *γένεος Δία αὐτόν.* Nonii iniuria factum, quod nomen unde pendeat genetivus *γένεος* desideratur: non rara haec in Nonio festinatio, quam possum multis exemplis illustrare. Ad supplendam sententiam non commodius vocabulum invenio hoc: *ἀρχηγός.* Sic Isocrates in Philippo, or. 5, 32: *Θηβαῖοι δὲ τὸν ἀρχηγὸν τοῦ γένους ὑμῶν τιμῶσι.* Itaque prodit alter heroicus, cui initio una syllaba deest, quam praemissa *pol* particula refingo:

. . *quare si dium genus est ad amussim,*
[*Pol*] *per me licet adsumas γένεος Δία αὐτόν*
[*Ἀρχηγόν*].

Pol particula licet maxime comicorum usu frequentetur, tamen hinc non aliena, qua etiam Horatius utitur in epistulis I 7, 92. II 2, 138. *teneo* quod mutavi in ΓΕΝΕΟΣ, proclivi errore nitor, cuius alia exempla in promptu sunt, velut *ταμησιονουν* pro *γαμήσεις νοῦν* p. 128 Oehl. *τενεολιακης* pro *γενεθλιακῆς* Non. p. 504, 10. Alia proferam, cum de iudice saturae Ammon Μετρεις Περι Φιλαργυριας dicam. Nec *Δία αὐτόν* (*διαυτον*) quod e *διακον* librorum elicui, probabilitatem excedit. Hiatum qui est in quinta sede versus offerunt Homeri exempla (*κλέα ἀνδρῶν*): cf. Spitznerum de versu heroico p. 146: nec quod

Graecis permissum fuit dubito quin Varroni licuerit in graecum latini versus exitum admittere.

Sed huius saturae cum quattuor fragmenta ferantur, primum olim perspectum est metricum esse, secundum et quartum ego nunc suis numeris restitui, nec dubito denique quin tertii quoque metra proditura sint, modo primum interpolamenta quaedam removeantur. Sic enim Nonius p. 181, 12: '*Tetrica*' *est severa. Varro tu patros το pedιον, περὶ παιδοποιΐας: 'an etiamsi audisset reddere potuisset mulier tetricae horrentis? ducat ad Appiam moribus bonis.' Virg. Aen. lib.* VII: '*qui tetrice horrentis rupit montemque severum.*' In Varronis verbis duo olim Iunius probe instituit: *mulieri* correxit et eiecit *horrentis*, quod e Vergilii versu perperam in locum Varronis invectum est. Contradicit Oehlerus, sed ita ut ne audiri quidem debeat. Idem cum haec *ducat ad Appiam moribus bonis* manca esse putaret, e proximo *Virg. Aen.* elicuit *virginem*, non sine specie veritatis, sed tamen improbabiliter: ego ne desiderari quidem quicquam concedo: quodsi tamen substantivum requiratur, cur id potius librariorum culpa quam Nonii delicto omissum putemus? Itaque sic illa legi ac distingui poterunt:

an etiam si aúdivisset réddere
Pótuisset mulíeri tetricae? Dúcat aio ad 'Appiam
Móribus bonis.

Inserui *aio:* potest fortasse alia vox ad stabiliendos numeros inferri.

Pergam promiscue quaedam nondum suscitatorum versuum exempla apponere ex eis praesertim saturis petita, quas non plene ac dedita opera pertractabo. Agathonis fr. 3 apud Nonium p. 400, 14 ita legitur: *Et pueri in aedibus saepius pedibus offensant, dum recentes musteos in carnario fluitare suspiciunt.* In quo quod Oehlerus cum Laurenbergio restituit *fluitantes*, dubito de necessitate correctionis. *Musteos* quod Turnebus in adversariis XXVIII 12 de caseolis mollibus et teneris intellegit, potuit apte quidem de caseo dici *musteum:* ut Plinius XI 97: *laus caseo Romae . . . sed brevis, ac musteo tantum commendatio.* Nunc carnarium potius de petasonibus cogitari suadet. Sic Martialis XIII 55 in petasonem:

Musteus est: propera, caros nec differ amicos.
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

At vero illud incommodo est, quod vocem ipsam, quam duo designent epitheta, desideramus: nec tamen eam repeti e superioribus, quae Nonius praetermiserit, ipsa conformatio sententiae sinit. Nam aut fallor aut haec in exemplum dicta sunt eorum, qui quod ante pedes est non vident, caeli scrutantur plagas: ut malim pro *et* reponi *ut*. Augetur illud incommodum, quod non ita discrepat vis vocum *recentes* et *mustei*, ut apte iuxta ponantur. Nam quidqnid Oehlerus contra disputat, musteum vel mustum vocatur omne quod novellum vel recens est (cf. Nonius p. 136, 6 et Martialis l. c. Scaliger in coniectaneis p. 204), quod cum de malo vel fructibus dicatur, etiam suci, quae recentium est, abundantiam designat. Quare Forcellinus *recentes* non inepte pro interpolamento habuit: modo illud etiam advertisset, non solum subdititiam vocem in Varronis verba invectam, sed eadem eam, quam desideramus, eiectam esse. Tetigi hoc genus interpolationis in superioribus p. 7 sq.: nec novi eiusdem certius ac luculentius exemplum eo, quo Lachmannus in Catulli galliambo 75 pro ineptissimo *geminas deorum ad auris* scribendum *geminas matris ad auris* dixit ad Lucretii librum I 824. Varronis autem fragmentum nunc ita distingui oportet:

ut pueri in aédibus
Saépius pedibùs offensant, dúm petasones músteos
'In carnarió fluitare súspiciunt.

Pedibus producta ultima hodie nemini scrupulum addet: cf. Ritschelius in novo museo Rhen. VIII p. 490.

Bis iam in superioribus ΓΕΡΟΝΤΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΝ ad partes vocavi, quo sui Varroni versus redderentur. Addo nunc illis ex eadem satura quattuor nondum, quod sciam, a quoquam suscitatos. Sic fr. 7: *Utrum oculi mihi caecuttiunt, an ego vidi servos in armis contra dominos?* septenariorum particulas refert:

utrum óculi mihi caecútiunt
'An ego servos vidi in armis cóntrá dominos . . .?

Transposui *vidi servos* quod est in libris Nonii p. 86, 11. Eosdem numeros praebet fr. 4: *Noctu cultro coquinari se traiecit: nondum enim illi inventi erant cultelli importati e Bithynia.* Sic enim verba, quae satis depravate leguntur apud Nonium p. 195, 16, praeeunte partim Lipsio probabiliter Oehlerus restituit. Unde iam haec eorum mensura prodit:

. noctu cultró coquinari sé traiecit: nóndum enim
'Illi inventi eránt cultelli impórtati e Bithýnia.

In priore fortasse non initio sed in medio versu unius syllabae defectus est, velut:

Nóctu cultro cóquinari [*iste*] *sé traiecit.*

Cultellos e Bithynia importatos, quos se ignorare Oehlerus fatetur, Mommsenus me admonet esse cultros, quibus sé eunuchare Galli soleant: quos Varro, provinciae Romanae memor, e Bithynia potius quam e Phrygia allatos dicat.

Porro fr. 8 *Rapta a (an* libri) *nescio quo mulione raptoris (rapturis* libri Non. p. 166, 15) *ramicis rumpit* scazontis numeros offert:

. . rapta a néscio quo múlione ráptóris
Rámices rumpit.

De eo genere versuum dicam infra accurate. Denique adiicio probum octonarium iambicum, quem praebuit fr. 5:

Quotiéns priscus homo ac rústicus Románus inter núndinum
Barbám radebat.

Priusquam hanc saturam mitto, hoc moneo in transcursu fr. 13 non recte vulgo *initia* scribi, debere *initio*, id quod sic exaratum invenio in Antonii Riccoboni de historia libro: qui cum ceterum sua de Varrone merita nollet ultra describendi et colligendi operam progredi, hic videtur semel quid ipse emendasse: *confluit mulierum tota Roma: quae noctu fieri initio solita etiam nunc pinea faxs indicat.* In quibus Oehlerus perperam *mulierum tota Roma* interpretatur: 'quotquot sunt Romae mulieres': omisit puto Nonius vocem, velut *turba*, unde genetivus pendebat. Nec abstergeri debuit scriptura *faxs*, quam

libri (Non. p. 112, 22) et in loco Varronis et in lemmate exhibent: *faxs pro face*: ut idem scribendi genus reddi debeat iis, quos ibi praeterea Nonius locos Varronis citavit. Spineam facem pro pinea inferenti Scaligero in coniectaneis p. 28 non est quod obtemperemus.

Κοσμοτορυνη fr. 5 sic scribitur in libris (Non. p. 538, 17): *toga tracta est et abolla data est ad turbam, ubi sera militia in munera velli ut praestarem.* In quo *belli* correxit Iunius, si modo ea correctio est dicenda. In reliquis nihil probi excogitatum est a criticis: velut Palmerii: *t. detracta est et a. d. est ad tubam mihi* (vel *ibi*), *fera militiai munera*, vel Oehleri inventum: *ad turbam ivi, sera militia munera:* nisi quod *in* ante *munera* recte illi abstulerunt. Mihi verum, opinor, inveniendi viam illud aperuit, quod anapaestici systematis particulas agnoscerem. Vide enim hunc versum: *toga tractast et abolla datast* sive mavis cum Palmerio: *Toga detractast et abolla datast* et integrum paroemiacum: *Munera belli ut praestarem.* Quae si non fallacia sunt indicia, etiam quae media sunt ita corrigi debent, ut eisdem numeris conveniant: quos ego adstipulante sententia sic recupero: *ad turbam ibi fert me militia.* Ut iam continuum hoc systema legatur:

> [*Tum*] *tóga tractast et abólla datast:*
> *Ad túrbam ibi fert me mílitia,*
> *Munéra belli ut praestárem.*

Traditur ex eadem satura alterum systema anapaesticum (fr. 8), quod Gulielmus agnovit in verisimilibus I 3 (Gruteri Lamp. III p. 250), ubi simul fr. 4 in duos dimetros anapaesticos distribuit. In illis, quos ego nunc addidi, anapaestis unus etiam scrupulus restat, quem tribrachus finalis *militia* affert. Cui si nulla est in medio systemate excusatio parata, licebit hac transpositione mederi incommodo: *mílitia ut Munéra belli praestárem.* Ea enim particula propter systematis continuitatem nihil offensionis in exitu versiculi habet. Quae praeterea mutavi levia sunt: *ubi* correxi in *ibi* et e *fera* restitui *fert. me* autem, quod ante *militia* omissum est, non gravius quam ante *munera* illa-

tum *in* (*m*). Cuius erroris compar exemplum affero, quo simul alterum Varronis fragmentum emendatius scribam. In Vinaliorum enim fragmento unico ipsa concinnitas exigit ita scribi: *Etenim sic vide: utrum [a me] mercedem accipit is, qui meas venit segetis ut sarriat, an ego ab illo? Segetis* forma, quam libri praebent (Non. p. 8, 2), addi potest iis, quas Lachmannus ad Lucretii I 805 p. 57 ex eodem Nonio affert, *segetis* Vergilii, *tegetis* Varronis, *velitis* Sallustii et Varronis. Sed illud fragmentum commode admonet alterius, cuius integritati consimile librariorum delictum offecit. Saturae enim, cui inscribitur Τριοδίτης Τριπυλαῖος, fr. 3 e Nonii libris p. 410, 4 ita prodiit: '*Tristis*' *doctus. Varro Trifodite . . : illud vero quondam meae, ut ego non metuam fulmen, non aruspicem tristem, simul ac dici non quaero.* 'Fragmentum corruptissimum' dicit Oehlerus, 'cui commodam medicinam non habeat.' Nihilo tamen minus ex sua et Popmae coniectura refictum ita expressit: *illud vero quondam egi, ut ego . . . tristem: simulans dici non quaero.* Quibus vereor ne nihil emendetur, corrumpantur autem etiam quae sana et integra sint. Longe illis consideratius Stewechius scribit: *illud vero quondam animo meo sedet, ut.* Tetigit ille sententiam, quam paullo rectius et propius a tradita scriptura ita refingo: *illud vero quod ani[mę] meae, ut.* Leidensis enim et Genevensis *quodam*, non *quondam*, ut reliqui. Desideratur autem vel sic verbum, unde pendeant haec *animae meae*. Pro Stewechii *sedet* malo *insidet*, cum verba in trochaicorum numeros coire videam:

illud véro quod animaé meae
[*Ínsidet*], *ut égo non metuam fúlmen, non arúspicem*
Trístem simul ac díci non quaero.

Simul ac dicit malim, ut haec cum *tristem* voce coniuncta rugata fronte, cum oracula sua cantat, aruspicem designent: modo possim proxima *non quaero* aut emendare probabiliter aut explicare: nunc cum abrupta sit sententia, praestabit ea intacta relinquere. Illud autem quod *insidet* producta finali intuli, non est quod hodie excusetur, ex quo de hoc genere omni a Ritschelio edocti sumus. Nec dubito cum gemina pro-

ductione hunc versum, quem ex Octogessis fr. 2 suscitavi, commendare:

Hóc erat incómmodi quod néscìebamús semel
Únum singulum ésse.

Pergo ad eam saturam, cui Lex Maenia inscribitur. Eius fr. 7. Nonii libri p. 106, 6 ita perhibent: *si qui patriam, maiorem parentem, extinguit, in eo est culpa: quod facit pro sua parte is, qui se eunuchat aut aliqua (aliqui* Wolfenb. *aliquid* Bamb.) *liberos producit.* Sententia in universum plana est, quam Oehlerus Ciceronis, non Varronis loco (apud Noninm p. 426, 9) illustrat: *sic quoniam plura beneficia continet patria et est antiquior parens quam is qui crearit, maior ei profecto quam parenti debetur gratia.* Addo e Ciceronis epistulis ad Atticum IX 9, 2: *huic bello, in quo tanta vis sceleris futura est, ut, cum parentes non alere nefarium sit, nostri principes antiquissimam et sanctissimam parentem, patriam, fame necandam putent.* Dubitatio exoritur de postremis *aut aliqui (aliqua) liberos producit.* De quibus quae alii excogitarunt, eorum nihil mihi quidem probatur: sic Popma *haud aliqua lib. prod.*, Oehlerus *aut alibi lib. prod.* 'sc. quam in patria.' vel *aut ἄλις qui.* Paullo certius de eorum emendatione indicare licebit, ubi illa non pedestria, quae adhuc putabantur, sed metro concepta esse ostendero:

si qui patriam
Máiorem parẹ́ntem extinguit, in eost culpa: quód facit
Pró sua parte is quí se eunuchat aút talis qui liberos
Próducit.

Numeri manifesti, opinor: quamquam de illis *si qui patriam* nihil definio. Quod scripsi *aut talis qui*, commendatur id quidem lenitate mutationis nec abhorret a metro: sed manca evadit sententia, quam possis ita mente supplere: talis qui liberos producit, quales vitales esse vel succurrere patriae nequeunt. Nec tamen eam suspitionem pro certa vendito: nisi quod non feram emendando numeros pessumdari.

Ergo huic saturae cum addam unum fragmentum metricum,

non possum non eidem alterum demere. Nam quod Oehlerus fr. 5 Gerlachii, ut videtur, indicium secutus ita distinguit:

> *Ad biviram venio, cum vellem ostendere, quid*
> *Vellem, Metamelos, Inconstantiae filius*
> *Me reprehendit,*

nec quod illi voluerint metri genus esse intellego, nec omnino possum ibi numerosi quid meis auribus percipere. Ceterum quo sententia recte legatur, graviter pone *venio* distingui debet. De voce *bivira*, quam nec Oehlerus nec quem laudat Freundius recte accepit, consultius erat in Nonii explicatione acquiescere (p. 79, 21): '*biviras*' *quas usus biduas (viduas) appellat.* Biviram enim a Varrone puto προληπτικῶς dici eam, quae cum vidua sit, alteri viro nubere cupiat. Depingit autem Varro lepide anxium et inconstantem petitorem uxoris.

Denique cum semel in hac satura deverser, breviter a fr. 3 repellam ineptias Oehleri. Scribit enim Nonius p. 397, 31 '*Sacrum*' *est sacratum vel religiosum. Virg.* — —. *Sacrum etiam scelestum et detestabile; ita et consecratum. Afranius* — — *Varro Lege Minia:* '*signati sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti.*' Id quod quivis qui attente Nonii locum inspiceret intellegere potuit, deesse in Varronis enuntiato id quod eo illustrare Nonius voluit, hoc perspexit Lucas Fruterius in verisimilibus II 4, qui in fine sententiae *sacri* addi verissime iubet: quam vocem absorptam puto ab iusequenti Nonii lemmate *saucii*. Scribit autem Fruterius totum locum hoc modo:

> *Signata sacra esse desierunt, postquam homines facti*
> *sunt sacri.*

Quae versum quadratum praebere putat: ludere Varronem in paronomasia, cum dicat, sacra resignata, evulgata, prostituta esse coepisse, cum iam homines scelesti et sacri sint effecti. Ergo *signata sacra* voluit esse illaesa, inviolata, quemadmodum Lucilius apud Nonium p. 171, 3 *signatam virginem* dixit intactam: de quo Scaliger in catalectis p. 193. Attamen ut mihi versus iste Fruterii displicet, ita de priorum explicatione addubito. Nisi enim *sacra* in epitheti vim accipitur, perire acumen sen-

tentiae arbitror: quod quidem Lipsius tetigit, qui in antiquis lectionibus I 18 ita locum scribit et enarrat: *signa tum sacra esse desierunt, postcaquam homines sunt facti.* 'Id est: signa seu statuae deorum desierunt videri sacra sive religiosa, postquam homines facti sunt sacri, id est scelesti.' Qui tamen erravit in eo, quod noluisse *sacri* vocem in fine additam videtur, quam et Nonii lemma et ipsum quod persenserat acumen requirit. Nec illud approbo, quod *signa tum* scribit: habent enim Nonii exemplaria non quo illi nitebantur, *signata*, sed *signati sacra*, in quo ego nihil nisi simplex *signa* latere arbitror, cui adhaesit *ti* syllaba e proximis *facti sacri.* Itaque haec tandem vera manus Varronis prodit: *Signa sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti sacri:* quae pedestria sunt. Quid vero Oehlerus, cuius causa haec omnia disputavi? Sic ille in textu suo; *Signata [natis] sacra esse desierunt, posteaquam homines sunt facti.* Quibus hanc adnotationem subiecit: 'Sententia fortasse haec est: res sacrae et detestabiles desierunt res esse signatae h. e. intactae filiis, posteaquam hi homines sunt facti, h. e. tanto laborat nostra iuventus vitio et morum corruptela, ut paene iure possit dici vel ipsis natalitiis iam omnem modestiae speciem exuisse. Sed haec coniectura est.' Est vero et misera quidem. Credin legisse eum vel Lipsii vel Fruterii disputationes, quas in eadem adnotatione affert? Missa tandem hac satura ad Manium propero, in quo restant aliquot versus aliquando suscitandi. Sic fr. 4 *harum aedium summetria (summeatria* libri Non. p. 87, 12) *confutabat architectones* octonarium aequat:

Harum aédium summétria confutábat architéctones.

De cuius caesura vide a Kraussio congesta Plauti Terentiique exempla in novo museo Rhenano VIII p. 554. Sed erit fortasse, qui me insimulet tamquam nova proferre, quae ne illum quidem editorem fugerint. Cum enim et hoc fragmentum et alia nonnulla, quae metrica esse docui vel docebo infra, uno versu apud Oehlerum expressa sint, nescias sane quid editori probatum fuerit, qui ictibus rarissime tantum usus est. Sed de octonariis iambicis ac septenariis salva res est, quos ne

reconsuit quidem ille ibi ubi metrorum 'varietatem egregiam' Varronis co. illustrat, quod praeter trimetros iambicos reperiantur etiam scazontes, galliambi, tetrametri trochaici, anapaestici dimetri atque tetrametri et heroici versus. Cf. Addenda ad p. 40. Nec in aliis nimis verendum est, ne iniuria fiat illi, quem video vel in apertissimis adnotatione cavere, ne quis incertus de metro haereat, ut p. 130 fr. 2 *Non posse ostrea se Romae praebere et echinos* 'est hexameter' adscripsit, et p. 204 fr. 3 huic versui *Et petere imperium populi et contendere honores:* ut nescias, num viderit DESULTORII fr. 1 *Fervere piratis vastarique omnia circum*, cui nihil adnotavit, item esse heroicum. Qui vel ibi, ubi sibi non prorsus constabat, noluit alios non monitos dimittere, ut huic pulchro septenario BIMARCI fr. 20:

Scéna quem seném Latina vidit derisissimum

hanc memorabilem adnotationem subiecit: 'Fragmentum fortasse poeticum est, quum iambi insint.' Itaque non dubito eiusdem MANII mihi vindicare claudicantes septenarios, quos frr. 6 et 10 offerunt:

Húnc Ceres cibi ministra frúgibus suis pórcet
Dúlcem aquam bibát salubrem et flébile csitét cépe.

Atque in his quidem Varro omnino ab imparibus sedibus spondeos procul habuit. Eadem arto formati hi praeterea in his reliquiis occurrunt: p. 94 Oehl.

Quém secuntur cúm rutundis vélitis levés pármeis,
Antesignani quadratis múltisignibús técti.

multisignibus Lachmannus ad Lucretii II 402: cf. Meinekius *(Z. f. A. W.* 1845 *n.* 93). *parmeis* elicui e corruptelis librorum p. 552, 30: *pareans* Bamb. *parcans* (*e* sup. *c* scr.) Wolfenb. *parens* (*a* sup. *c* scr.) Leid. *parmis* omnes p. 553, 10.

p. 95 *Néc manus viscó tenaci tincta erat viri cásta.*

Sic Meinekius: libri p. 267, 11 *tinxerat.* Oehlerus illato *auri* metrum corrupit.

p. 133 . . *rapta a néscio quo múlione ráptoris*
Rámices rumpit.

Quem supra p. 80 recuperavi.

p. 213 *Sénsibus crassís homulli nón videmu' quid fiat.*

'videmu' Lachmannus ad Lucretii I 186. *videmus* vulgo. *sensibus* Meinekius et Lachmannus: *senibus* libri Nonii p. 86, 24.

p. 227 *Quá voluptatc aévitatis éxtimam attigit métam.*

Agnovit Meinekius, ut proximos duos:

p. 231 *Néc coruscus imber alto núbilo cadéns múltus*
Grándine implicátus albo.

p. 157 *Némini fortúna currum a cárcere intimó missum*
Lábi inoffensúm per aequor cándidum ad calcém sivit.

Sed horum alter eo, quod spondeus est ante pedem ultimum pro ïambo, deflectit non nihil a severitate reliquorum, nec tamen videtur de integritate memoriae dubitari posse, ut paullo severius iudicarit Lachmannus ad Lucretii I 186. Alterum eiusdem licentiae exemplum Kochius protulit in exercitationibus p. 29:

p. 204 *Húnc vocas e liquida vita in cúriae vestraé facécm.*

Sed hic non hoc uno nomine a superiorum norma recedit, cum in secunda dipodia pro trochaeo puro habeat anapaestum. Negavit quidem Meinekius Varronem ullam sibi solutionem arsis in hoc genere versuum permisisse: iniuria opinor, quod non hoc qui ipsi Meinekio debetur versu approbarim:

p. 213 *Út nitens pavónis collus nihil extrinsecús súmens.*

in quo si *pavoni'* et *nil* scribitur, ceterum convenit severitati, nisi quod tertiae dipodiae thesis prima producitur, ut prorsus geminus sit huic exemplo, quod idem Meinekius recuperavit,

p. 213 *Síc canis fit é catello, síc e triticó spica.*

Sed quo ne a solutione arsis quidem abstinuisse Varronem probetur, hic versus est a Kochio recuperatus in exercitationibus p. 31:

p. 234 *Cúm neque aptam móllis umeris fíbulam sagús férret.*

qui cum ceteroquin omni elegantia fluat, solutam secundae dipodiae arsim praebet. Ut ne de altero quidem illo exemplo

dubitari debeat, licet paullo minore quam reliqui venustate currat. Certe ego, si quis transponendo spondeum ante pedem ultimum amovere vellet: *in véstrae curiaé faécem*, et in Meinekiano: *cálcem ad candidúm sivit*, hoc non magis approbarem quam si cui in Kochii versibus haec distinctio placeret:

> . . . . *húnc vocas e líquida vita in cúriae*
> *Véstrae faecem.*
> . . *cum neque áptam mollis úmeris fibulám sagus*
> *Férret.*

Sed quo certius apparet, Varronem non quidvis sibi in his versibus permisisse, eo incredibilius ab eodem Kochio in exercitationibus p. 29 hoc horridulum versus simulacrum Varroni tribuitur:

> p. 213 *Acciti sumus ut depontaremur: murmur fit verus*

quae dubitari potest num omnino metrum, nedum scazontis mensuram praebeant.

Pari severitate Varro usus est in ïambicis trimetris claudis, in quibus quintum pedem constanter purum ïambum fecit, spondeum a paribus sedibus procul habuit, solutione arsis abstinuit. Semel in undecim, qui extant, versibus primae dipodiae thesim alteram produxit, et item semel primum pedem dactylicum fecit.

> p. 137 *Tum dénique omnis cúm lucerna cómbústast*
> *In lúcubrando olivitasque cónsúmptast*

a Meinekio recuperati.

> p. 159 *Aut ille cervum qui volatilém cúrrens*
> *Sparó secutus trágulave tráiécit.*

De quibus dixi p. 62.

> p. 229 *Nec múltinummus piscis ex saló cáptus*
> *Helóps neque ostrea illa magna cáptáta*

a Scaligero restituti.

> p. 138 *Neque in pollubro mýstico coquám cárnes*
> *Quibús satullem córpora ac famém véntris.*

Vide quae monui p. 41.

p. 176 *Equí colore díspares itém náti:*
Hic bádius, iste gilvus, ille múrinus.

Vide p. 35. His addendi sunt, nisi me fallit opinatio, duo de Bimarco choliambi:

p. 101 *Ne mé pedatus vérsuum . . tárdor*
Refrénet arte cómpari rythmón cértum,

de quibus dicam ad eam saturam. Quod vero Scaliger in catalectis p. 118 eiusdem generis exemplum protulit:

Inflét priusquam tibias in órchéstra
Domi suae Pythaúla ramicés rúmpit,

nec ad eam cuius esse voluit saturam Ονος λυρας pertinet, nec *pythaulem* recte explicuit, nec denique tales versus licet ex hac librorum memoria (Non. p. 166, 10): *priusquam in orcestra pythaules inflet tibias, domi suae ramices rumpit* probabiliter effingere. Sed tamen latent ibi numeri, quos ita recupero:

Priusquam in orchestrá pythaules ínflet tibiás domi súae
Rámices rumpit.

Pythaulem et omnem sententiam Oehlerus apposite Horatii versu in arte poëtica 414 illustrat:

qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius extimuitque magistrum.

ad quem versum Lambinus meminit Varronianae sententiae. Sumptum autem illud fragmentum e satura cui inscribitur Τριοδιτης Τριπυλιος Περι Αρετης Κτησεως. Cuius fr. 2 eosdem, ut puto, numeros refert:

Nám út ecus qui ad vehéndumst natus, támen hic traditúr magistro
Út equiso doceát tolutim.

Nam aut libri Non. p. 105, 30: *sed ut* p. 4, 15.

In Manio, unde deflex imus, cum tres versus recuperarim, unum a Roepero illatum rursus expellam. Fr. 12 sic tradit Nonius p. 113, 12 '*Fallere*' *exsurgere, iamvere. Manio: 'tam cum ad quem veniunt et ospitium, lac humanum fellasse.*' Quod testimonium olim Iunius et Mercerus ita correxerunt, ut in eorum

emendatione acquiescas: '*Fellare*' *exsugere*, *lambere*. [*Varro*] *Manio*: '*tam eum ad quem veniunt in hospitium*, *l. h. f.*' *in hospitium* quod scribunt pro *et hospitium* non gravius est, quam quod Nonii p. 358, 26 *ut flumen* legitur pro *in frumen*. Sententia aperta. Laudat Varro pristinorum temporum hospitalitatem, cum quivis in cuiusvis hospitium iret haud cunctanter, bene gnarus etiam eum, ad quem veniret, ut ipsum, lac humanum fellavisse. Ut ne *tam* quidem particula mihi offensioni sit, quae si tamen non placeat, suaserim *etiam*. Numeros autem in illis verbis meae percipere aures nequeunt: quosque invexit Roeperus, ei integritati sententiae officiunt. Scribit autem ita:

. . . . *iam eum, ád quem veniunt hóspitem*
Fellásse lac humánum.

IV

Mitto nunc plura, quae de illa et aliis saturis e metrico genere monenda aliquando restent: ut paullo largiorem versuum messem, quam in

PARMENONE

feci, exponam eiusdemque saturae argumentum, quoad licet, enarrem. Exordiar autem a Iosepho Scaligero, quem hic, ut solet, Oehlerus neglexit, et neglexerunt alii cum detrimento Varronis. Is enim in coniectaneis p. 119 continuavit haec PARMENONIS fragmenta: (5) *Caeditur lucus: alia frons decidit Pallados, platanos ramis:* (6) *alia trabs pronis in humum accidens proxumae frangit ramos cadens:* (4) *Alius teneram abietem ruinis solo percellit:* (3) *alius caballum arboris ramo in humili alligatum relinquit*, (2) *ferens ferream humero bipennem securim*. Nolo nunc perpendere singula: nam mutavit quaedam Scaliger in singulis. In universum praeclare ille e diversis Nonii latebris congessit, quae eodem narrationis ambitu contineri perspexerat. Numeri in illis casu fugerunt sollertissimum metricae Varronianae investigatorem. Sed percepti sunt a subtili veteris poësis aestimatore, Näkio, qui bacchiacos versus in illis persentiscere visus est. Idem deflectit non nihil ab ordine Scaligerano. Sed apponam ipsa Näkii verba, quae scribit in commentario ad Valerium Catonem quem vocat p. 63: "Varro Parmenone apud Nonium p. 79, 19 in simili ut videtur descriptione:

ferens ferream humero bipennem securim

vel ut Scaliger . . ista probabiliter coniunxit cum alio apud Nonium fragmento:

— alius
caballum arboris ramo in humili alligatum
relinquit, ferens ferream humero bipennem
securim.

Quae alia ibi Scaliger ex aliis Nonii locis agglutinat, ex eadem descriptione esse facile largior, ac video numerum partim inesse, partim coniectura restitui posse eum, quo illa distincta exhibui, bacchiacum: quomodo inter se singula nectantur non video. Probabile autem est haec omnia alio quam apud Scaligerum scripta fuisse ordine: initio descriptionis illa, quae apposui, ea vero, quae Scaliger initio ponit, *Caeditur lucus* etc. postrema fuisse. Prius describebantur involantium in silvam impetus, habitus, instrumenta, tum cadere arbores singulas.' Haec ille subtiliter, cui de ordine fragmentorum nemo contradicat. Bacchiacum autem numerum cum in reliquis recuperare studeam, et difficultates obstant incepto, et retinet inventum Meinekii, qui in uno illorum fragmentorum, ignarus suspitionis Nackianae, quam tum nosse non potuit, creticum, non bacchiacum numerum restituit:

6 *Álta trabs prónis in humum áccidens próximae*
Frángit ramós cadens.

Dubitat ibidem Meinekius de *cadens* vocabuli integritate: in quo seorsum ab egregio viro sentio. Est enim diversa participiorum *accidens in humum* et *cadens* ratio, quorum illud cum *trabe* artius coniungi oportet, hoc ipsa frangendi actio illustratur. Omni autem sententiae Varronis conferas Catulli versum LXIV 109

illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, late qua est impetus, obvia frangens.

Itaque videndum nunc, num cetera quoque fragmenta eundem creticum numerum facile recipiant. Nam licet non infrequens sit bacchiacorum creticorumque continuatio, tamen in his reliquiis ipsa parilitate versuum restitutionis probabilitas non nihil augeri videtur. Atque hi, quos infra scripsi, et recte, ut puto, procedunt, et ultro, non coacti e reliquiis emerserunt. Scribam autem eo ordine, quo se singula olim excepisse probabile est:

3 *aliús caballum árbori'*
Rámo in humili ádligatúm relinquit, (2) *ferens*
Férream umeró bipenném securím . .

4 *'Alius teneram ábietem sólus 'percéllit.*

5 *Caéditur lótos* [*ictu*]: *álta fros décidit*
Pálladis: plátanus ramis . . . . .

6 *'Alia traps prónis in humum áccedens próxumae*
Frángit ramós cadens.

Et adiicio denique in eiusdem descriptionis ambitum, quamquam intervallo aliquo ab illis distantes hos creticos:

9 *É cavo fónte uti cum inrigavít cava*
'Aurium anfrácta in silvám vocans . . .

Nunc singulorum rationes reddam. Producta quod aliquoties media creticorum syllaba apparet, habent ea exempla suam quoque excusationem, vel ex ambigua *s* finalis natura, ut illa *sólus per; plátanus ra; álius tene*, in quibus in promptu est *solu', platanu', aliu'* scribere. His autem *frángit ra; frácta in sil* videor eodem iure neglectam vim positionis adhibere, quo supra in iambicis *libet me épi; ut in lit; et id dí* vindicavi. Ceterum vide quibus finibus molossi usum in creticis veterum comicorum G. Hermannus circumscripserit in elementis d. m. p. 206 sq. Arsis solutio ita temperata est, ut altera tantum arsis binis brevibus consistat nec plures quam singulae in singulis versibus solutiones occurrant: differt unicum fr. 4, in quo primi pedis utraque arsis soluta est: nam *abietem* cum trisyllabum producta prima esse possit, non est quod solutam arsim dicamus. Sed idem versus eo discrepat a reliquis, quod cum illi sint acatalecti tetrametri, hic catalexim habet: vix enim crediderim deesse in fine syllabam. Nec vereor, ne hic unus catalecticus tetrameter, quibus Plautus nonnumquam continuis usus est (cf. Ritschelius in proleg. p. CCXCVIII), cuiquam offensionem afferat. Contra hypercatalecti exemplum, quod e librorum memoria est in fr. 9: *cavata*, non tuli: nec συνάφειαν cum proximo admisi, qualem qui exhibebat versus Terentii

Andr. 633 (IV 1, 9) spurius videtur contra ac visus est Lachmanno ad Lucretii II 118 p. 81. Quare nisi quis pro creticis bacchiacos esse volit systematis perpetuitate cohaerentes

cavó fonte uti cum inrigávit caváta au-
rium ánfracta in silvam vocáns,

cuius generis exemplum Varronianum G. Hermannus protulit in elementis d. m. p. 303, praestabit, quo integritas cretici constet, leni correctione *cava Aurium* scribi pro *cavata*. Quae praeterea in eo versu ob numeros mutavi, sunt illa longo leviora eis, quibus Kochius tolerabilem octonarium iambicum effecit, quem pedestris oratio excipiat. Vide eius molimina et in hoc et in fr. 2 supra p. 66. In initio versus *c* adieci (*Varro Parmenone:* [*c*] *cavo*), iam a Popma nihildum de versibus recogitante praefixum: et *uti* scripsi pro *ut*. Est autem hoc, quod dicit Varro, *ut cum* prorsus geminum consuetae Homericae in comparationibus locutioni ὡς ὅτε. Simile in PROMETHEO LIBERATO fr. 2 *ut si*, quod ab Oehlero sublatum Meinekius vindicavit. Comparationis ratio in eo fragmento haec esse videtur, ut in silvam ille nescio quis vocans aures acri voce quasi frigida aqua irrigare dicatur. Cuius metaphorae vis ex *irrigandi* usu explicatur, quem Scaliger illustrat in catalectis p. 89 '*irrigui ignes* per poros ac meatus manantes.' Fr. 5 *lotos* Mercero debetur, libri (Non. p. 486, 12) *lutos* frequenti *u* et *o* vocalium permutatione. Vide coniunctam ut hic cum platanis loti mentionem in Culice v. 123: *aëriae platani, inter quas impia lotos.* Alii malebant *lucus*, quod qui praeferet, debebit ordinem fragmentorum nonnihil invertere. *Ictu* addidi, ne versus ceterum certissimis indiciis proditus labet: quemadmodum Plinius XIX 4 *arborem surdis ictibus caedi* dixit. Est autem *ictu caeditur* pro *uno ictu*, ut Lucanus VII 622: *quis corruat ictu? Alta* hoc versu non magis licebit in *alia* quam fr. 6 *alia* in *alta* mutare. Hic enim cum apte ex alto frons decidere dicatur, illic eis quae ictibus caeduntur arboribus alia trabs opponitur, quae cadendo obvia frangit. In ceteris hallucinatur Oehlerus, qui *alta frons decidit Palladis platanus ramis* in unius sententiae ambitum coniungi suadet, in quo *platanus* sit genetivus. Quae forma, quam non nego ut similes multas (cf. C. L. Schneideri

gramm. lat. II p. 472) extare potuisse, nec satis firmum in Culicis versu, quem attuli, praesidium nanciscitur, et a nostro loco metrica ratione respuitur. Praeterea ne quid de valde contorta quae Oehlero placuit structura dicam, olivam, non platanum, Palladis arborem esse didici. Quid multa? Duo sunt, quae ille in unum conglutinavit, commatia, alterum integrum, truncatum alterum: *Alta frons decidit Palladis:* et *platanus ramis*, quibus addi vel *levatur* possit. Olivae autem frons quod frons Palladis dicitur, nec insolens hoc genus translationis est et geminum illi hoc Vergilii exemplum Aen. VII 154: *ramis velatos Palladis omnis.* Denique e genere orthographico admoneo fr. 3 *arbori* tradi apud Nonium p. 86, 16, quam breviorem scripturam pro *arboris* Lachmannus ad Lucretii I 186 adnotavit ne ab oratione prosa quidem alienam esse. Certe versus mensura h. l. eo scribendi genere non adiuvatur. Fr. 5 quae est *fros* scriptura, ea in lemmate Nonii p. 486, 12 (*fros pro fronde*) et in Vergilii ac Varronis exemplis reponi debuit. Fr. 6 recepi *traps* formam, quae apud Nonium p. 178, 32 et in lemmate et in versu Varronis legitur: nec repudiavi eam, quae ibidem traditur, *accedens* scripturam, quam in Ennii quoque tragoediis v. 114 et 281 auctore Fleckeiseno restitui. Cf. Ribbeckii trag. rel. p. IX. Apud Nonium p. 494, 33 in eodem fragmento et *trabs* et *accidens* scribitur ut vulgo.

Sed huic omni caedendae silvae descriptioni, cuius similes Näkius attulit l. c. (cf. quaest. Enn. p. LII), neminem fugit quam congrua sit ipsa creticorum numerorum quasi turbulenta gravitas. Cui comparem vim habet in Amphitruone Plauti a Sosia servo exhibita creticis versibus pugnae descriptio I 1, 219—247. Huic autem nostrae narrationi praemissum fuit haud dubie fr. 7:

Exeunt citi, strepunt, exeunt, bount:

in quo cum numeros agnoscas, aegre certius definias, nisi quod cretici non videntur fuisse. Nec enim scriptura ipsa indubitata est (Non. p. 79, 7), cum displiceat bis positum *exeunt:* quod olim ut mera iteratione ortum delerunt. Sed ea arborum truncatio et decisio silvae, ut apud Ennium et Vergilium instruendo rogo

inservit, ita in hac satura videatur alicui ob instituenda certamina gymnica fieri. Haec enim certamina video fr. 8 designari, quod ita numeris distinctum exhibeo:

cedit velócibus
Iúvenis membris lévis, nitidus óleo . . . . .

Secreta autem ab illis fuit, ut puto, mentio venationis, quam fr. 1 continet:

Lepúsculi timéntis hoc quadrángulum
Dedit Diana réte nexile, ἄρκυας,
Viscúm fucatum líneamque cómpedam.

Cuius fragmenti scripturas nolo nunc persequi curiosius: id tantum moneo, *hoc quadrangulum*, quod Scaliger explicuit in coniectaneis p. 67 sq., coniungi debere cum proximis: *Dedit Diana*. De initio *lepusculi timentes* (sive verius est *timentis*) nihil certius statuo, nec quam probabilis sit Kochii opinatio in exercitationibus p. 28 *timeatis* dicere possum.

Sed inter haec fragmenta omnia cum quasi diluculo nexus quidam dispiciatur, aliae eiusdem saturae reliquiae in prorsus diversam nos sententiarum comprehensionem deducunt. De rhythmi enim ac melodiae natura, de poësi variisque generibus poëmatum plenius olim disputatum fuisse, fragmenta aliquot indicant, quae paullo alio atque apud Oehlerum ordine sic dispono:

12 *Paci in huius nascuntur pueri rhythmus et melos.*

15 *Poëma est λέξις ἔνρυθμος: id est verba plura modice in quandam coniecta formam: itaque etiam δίστιχον ἐπιγραμμάτιον vocant poëma. poësis est perpetuum argumentum ex rhythmis ut Ilias Homeri et annalis Ennii. poëtice est ars earum rerum.*

14 *In quibus partibus in argumentis Caecilius poscit palmam, in ἤθεσιν Terentius, in sermonibus Plautus.*

Apparet enim illum nescio quem, qui de his rebus disputavit, a rhythmo et *μέλει* ad poëma et poësin perrexisse, denique inter alia poësis genera scaenicae artis virtutes illustravisse. Atque haec quidem quae frr. 15 et 14 tanguntur, cum in uni-

versum (nec enim nunc adhaerescam singulis) plana ac perspicua sint, ut non egeant explicatione, nisi quod in fr. 14 hanc structuram *in quibus partibus in argumentis* nec Mercerus nec Basilienses (Non. p. 374, 7) ceperunt, duodecimi fr. sententiam insignis labes librorum obscuravit. Quam quibus opinationibus superiores tolli voluerunt, earum nulla est, quae sua probabilitate commendetur, nonnullae adeo tales, ut earum auctores tenebras voluisse tenebris pellere videantur. Sic pro ea, quam supra expressi, codicum scriptura (Non. p. 213, 13) *paci in huius* Popma, quod non displicuit Oehlero, *Pari huius*, Laurenbergius in Antiquario s. v. *melus* p. 271 *Bacchiis*, Iunius *Palimbacchiis* commenti sunt, denique Oehlerus *paginae huius* suo periculo in textu expressit. Ergo videant doctiores, num quid mihi probabilius ernere contigerit. Cum enim Varro grata translatione rhythmum et melos tamquam par puerorum inducat, in ea perstari metaphora ad emendandum initium fragmenti oportebit. Atque in promptu sunt χρόνος et φωνή, e quorum quasi coniugio proles illa puerorum prodire dicatur: ut si litterae assentirent, possis *coniugii huius nascuntur pueri r. et m.* non inepte suspicari. Nunc circumspiciendum est aliud, quod et referat illam sententiam, nec a memoria Nonii abhorreat, denique etiam numeris conveniat, quos agnosco in his:

Huiús nascuntur púeri rhythmus ét melos.

Quibus satisfieri desideriis visum est mihi hac coniectura:

compáginis
Huiús nascuntur púeri rhythmus ét melos.

Compaginis enim vocabulo de illa quasi coniugali χρόνου et φωνῆς iunctura Varro non minus apte opinor uti potuit, quam vel Lucanus V 119 animae et corporis coniunctionem dixit *compagem humanam*, et de *Veneris compagibus* Lucretius loquitur IV 1106. Nec adeo a traditis litteris *paci in* abhorret illud quod reposui *compaginis* h. e. *cpagini*. Sed erit qui de compaginis forma dubitet propter Servii adnotationem, quam ad Aeneidos I 293 adscripsit: '*compages compagis' antiqui tantum dicebant. posteritas admisit ut etiam 'compago' dicatur: sed non quia varius esse potest nominativus, debet etiam declinatio mutari.* — — . *ergo*

'compages compagis', *quoniam [quamquam?] 'compago' usurpatum est. 'compaginis' enim nemo penitus dicit. Ovidius tamen in primo metamorphoseon* [711] *ait: 'Atque ita disparibus calamis compagine cerae': a genetivo 'compaginis'.* Sed eadem forma usi sunt etiam Manilius, Plinius, alii, ut cum semel parum accurate Servius locutus videatur, fortasse ne de Varrone quidem dubitari debeat. Quodsi tamen non licet recentioris notae formam in Varronem inferre, possis secundum *propagminis* Enniani analogiam de *compagminis* genetivo cogitare. Illius quidem vocis utraque forma et *propages* et *propago* cum suis genetivis tam antiquis quam recentioribus in usu fuit.

Redeo illuc, quod diversarum saturae partium nullum dispiciatur vinculum: nam tenue est nec summam rei multum adiuvat hoc quod in fr. 11 agnosco vestigium:

> *Pudet me tui et Musarum . . agnoscere: piget currere et una sequi.*

Lacunam significavi, quam suadere enuntiati structura videtur. Suppleri, quo significetur sententia, haec possunt: *pudet me tui et Musarum; [dolet enim meam amusiam] agnoscere: piget* e. q. s. Nempe haec ab eo dicta esse opinabar, qui nec illi de poësi ac musica disputationi interesse, nec cum involantibus istis ad certamina in silvam vel venationi operam navantibus una currere cupiat. A quo, cum tam turbulentiorum voluptatum quam Musarum fastidiosus sit, non alienus videatur lentus micandi h. e. digitis sortiendi lusus, quem fr. 10 refert:

> *Micandum erit cum Graeco, utrum ego illius numerum an ille meum sequatur.*

In quo non assequor quid sit *sequatur:* pro quo *assequatur* et sententia et latinitas requirit. Intercidit praefixa verbò praepositio, ut saepius. Velut Pseudoli Apollinis fr. 2: *quod in eius dei templa calceati introëunt: nam in oppido quae est aedes Apollinis et quae ibi ad Herculis, ut introëat, nemo se excalceatur* non puto integritatem constare, nisi *excalceati* scribatur pro *calceati.* Insequens enim enuntiatum causale superius contrarium dici exigit.

Itaque frr. 11 et 10, modo quid veri de eorum sententia

tetigerim, postremum sibi in hac satura locum exposcuut, quam incepisse putaverim ab illa de musica ac poësi disputatione. De qua dixeriut forsitan nonnulli: „Quid nobis negotii est cum istis nugatoribus: nos iuvat in silva vagari venantes aut certaminibus membra fatigare. Quae deinceps excepta fuerint ab istis de venatione deque silvae decisione ac certamine gymnastico reliquiae (fr. 1. 7. 3.2. 4. 5. 6. 9. 8). Adiicio denique, ne ullum huius saturae fragmentum intactum relinquatur, pulchrum Aristophanium, quem post Meinekium rectius constituit Lachmannus ad Lucretii III 908:

13 *Demitis acris pectore curas cantú castaque poësi*

sive pro *curas* mavis *luctus*, quod est apud Nonium p. 257, 13. Cui sententiae licet aliquo modo Horatii versus sat. I 2, 110 conferre:

Hiscine versiculis speras tibi posse dolores
Atque aestus curasque gravis e pectore tolli?

Sed de sede ac nexu eius fragmenti nihil probabile exputavi: ut hac omni de Parmenonis disputatione magis secrevi diversas sententiarum comprehensiones, quam suis compagibus luxata membra rursus coaptare contigit. Cui conamini cum ipsa reliquiarum condicio tum maxime prorsus obscura mihi inscripti nominis ratio obfuit: nam Oehleri commento, qui Parmenonis nomen Graeco proverbio εὖ μέν, ἀλλ' οὐδὲν πρὸς τὴν Παρμένοντος ὗν illustrare studet, nihil ad hanc rem proficitur.

V

Itaque per PARMENONEM pedetemptim a re metrica ad enarranda saturarum argumenta rursus delati sumus. Atque nunc

SESQUIULIXES

nobis ad partes vocatur. Cuius saturae cum Roeperus dedita opera omnes reliquias versibus describeret, argumentum et ordinem fragmentorum fere non tetigit, nisi quod ne sibi quidem eam distributionem, quam Oehlerus secutus est, probari significat. In examinanda antem singulorum fragmentorum scriptura mihi, cum copias Roeperi nolim repetere, breviori esse licebit. Exordimur ab inscriptione, quam Plinius praefatione ad naturalem historiam inter iocosos Varronis titulos refert. Hoc nomen autem, quod saturae praefixum est, Sesquiulixis Varronem subindicat suam saturam ad eius quam etiam in BIMARCO ruminatus dicitur Odysseae Homericae similitudinem adornasse: quemadmodum Cratinus olim eiusdem Odysseae fabulam in comoediam suam Ὀδυσσεῖς converterat. Indici saturae accedunt fragmenta, quorum nonnulla Ulixem designant aperte, velut haec tria, quae ab Oehlero dispesta et sententia et compar enuntiatorum forma in unum locum convocat:

11 *Navibus duodecim domum profectum decem annos solidos errasse.*

20 *Diogenem postea pallium solum habuisse, et habere Ulixem meram tunicam: pilleum ideo non habere.*

10 . . *quod Minérva propter stét id significáre eum Própter doctrinam.*

De scriptura postremi non est quod adiiciam illis, quae p. 28 sq. disputavi. Quo cum Roepero videatur 'Varro ludere inter-

pretatione allegorica, cum Minerva Ulixi adstante, forsitan in aliqua tabula picta, significari aiat hominis doctrinam', nec tabula picta, quae aliena est ab eo quod cum illo cohaesit fr. 11, mihi probatur, nec Varronem ea tam de sensu suo quam excepta ab alio rettulisse crediderim. Cum decimo autem coniungo fr. 20, quod cum ita ut supra posui et in libris (Non. p. 344, 8) exhibeatur et ab editoribus vulgetur, primus eiecta quae post *ideo* legitur negatione integritati restituit L. Schopenus in Niebuhrii mus. Rhen. I p. 158: 'nam Ulysses, ut Varroni videtur, ideo pileum habet, quia mera indutus est tunica, non pallio, quo ipsum caput Diogenem obtexisse constat.' Ignorarunt eam emendationem certam, si quid iudico, cum Oehlerus tum nuper Roeperus, qui maiora molitus verba invita, ut puto, in versus coëgit:

. . . . *Diógenem póstea*
Pállium solum habuísse, habere Ulíxem tuniculám meram,
Pállium ideo nón habere.

vel: *Diogenem postea pállium*
[*Únum*] *solum habuisse, habere Ulixem tuniculám meram*
Pállium e. q. s.

In quibus cum metri indicia tantum non omnia Roeperi correctioni, non librorum memoriae debeantur, tum ne sententiam quidem istam, nisi *ideo* expunxeris, probe procedere arbitror. De pallio Diogenis cf. is, quem Roeperus laudat, Laërtius Diogenes VI 6, 13. 22 cum Is. Casauboni Menagiique commentariis. Pileum Ulixis (Non. l. c. *pilleum* ut p. 220, 14) praeter eos quos Schopenus et Roeperus attulerunt, tetigit O. Iahnius (*Berichte d. sächs. Ges. d. Wiss.* 1856 *p.* 287). Denique eodem nexu habebatur fr. 11, quo Ulixem 'errantem saevo per duo lustra mari' significari manifestum est: in quo quod *domum* scribo, Roepero debetur, libri enim p. 405, 20 levi errore *dum* exhibent, in editionibus vulgatur *domo*. Sed idem quos inde transpositionibus assecutus est senarios, ii vereor ut multis placituri sint:

. . . . . *navibus duodecim domum*
Profé́ctum solidos érravisse annós decem.

nempe ut sit bisyllabum *navibus*, *duodecim* trisyllabum. Quodsi

semel metri studio a memoria Nonii recesseris, non una sed plures viae versus restituendi aperiuntur: interim videor mihi nulla mutatione sed mera distributione tolerabiles septenarios iambicos nancisci:

. . . navibús duodecim domum profectum
Decem ánnós solidos érrasse

sive mavis *erravisse:* in neutra scriptura de huius versus caesura haerendum: et superiori videtur ex composito excusatio parata.

Aliae reliquiae ipsam Odysseae narrationem repraesentant, ut fr. 14:

Omnis inritans ventos omnesque procellas:

quem hexametrum accurate ex Odysseae V 292 πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας Παντοίων ἀνέμων expressum licebit ad eundem, de quo versus Homeri agunt, Neptunum referre. In hac autem latini versus cum graeco similitudine, quae non fugit Roeperum, miror eundem pro integro hexametro mutilum maluisse Aristophanium. Non obscurius Homeri imitationem prodit fr. 15:

Ipsum ávidum vino invitavi poclís large atque benigne.

Quae de Polyphemo dici vel ad Polyphemi fabulam Homericam fingi olim intellexerunt. Aristophanium Meinekius agnovit, qui *poclis* pro *poculis* reseribi suasit. Sed in ceteris quoque leviter peccarunt librarii: sic enim libri plerique p. 321, 29: *audi vino;* Genev. (non Wolfenb.) et Bern. *audivi non*, quod eodem redit. Lipsius in epist. quaestionibus IV 23 *avide vino*, Mercerus *avidum* coniecit: neutrum inepte, sed hoc praestare arbitror. *Invitari* quod est in libris forsitan iniuria spernatur, quamquam valde placet Lipsii *invitavi.*

Similis sed non compar ratio est fr. 24:

Adversi venti ceciderunt: album est mare. quod si pergunt
diutius mare volvere, vereor ne me quoque, cum domum ab
Ilio cossim revertero, praeter canem cognoscat nemo.

Quae non tamquam peracta a narratore, sed in medio cursu maritimo dici videntur. Nec agit is, qui haec verba edit, Ulixem, sed suos errores cum Ulixis calamitatibus confert. De cane Ulixis omnia nota sunt. Verba scripsi supra, ut Oehlerus

edidit. A quo differt nonnihil duplex memoria Nonii, qui p. 276, 8 partem fragmenti refert: '*Cognoscere*' *agnoscere.* — *V. Sesq.* '*vereor ne me quoque, cum domum ab Ilio eossim revertero, praeter canem cognoscat nemo:* integrum p. 247, 23: '*Album*' *significatione manifesta est, ut Virg.* — *Altum, mite vel placidum. V. Sesq.* '*adversi venti eeciderunt: quod si pergunt diutius mare volvere, vereor ne me quoque, quo domum ab dalio cossint venero, praeter canem cognoscat nemo.* In hoc posteriore testimonio pridem perspectum est desiderari albi notionem ea vi ut sit mite vel placidum. *Altum* enim leviter depravatum putarunt ex *album*. Qui defectus non potuit infelicius reparari quam reposito post Turnebum in adversariis XXIX 20 a Popma *praeter album canem*, quo reddi Homeri κύνα ἀργὸν opinabantur. Nunc in hac parte non iam haerendum, cum Ianus Laurenbergius in antiquario s. v. *album* p. 19 sive luculenta divinatione sive egregio libro adiutus ita locum tradat: *Adversi venti conciderunt: album est mare: quod si* e. q. s. Cui locutioni, quam ego ex Homerico λευκὴ γαλήνη (Od. X 94) expressam arbitror, cum egregie conveniat explicatio Nonii: *mite vel placidum*, tum non inepte quis inde profectus Nonii lemma hoc modo refingat: '*Album*' *significatione manifesta est, ut Virg.* — ['*Album mare*'] *altum mite vel placidum. Varro* e. q. s. Sed restant nonnulla in reliquis expedienda, in quibus ego nolim ad veteres Nonii editiones confugere, quas Roeperus hic ut alibi inutili studio excerpsit: nec eorum quae Io. Bapt. Pius (in Gruteri Lampade I p. 407) ex 'admodum prisco fideli que codice' rettulit quanta fides sit dicere possum. Quare perstabo in Basiliensium copiis: unde coniuncta duplici Nonii memoria haec totius loci species prodit: *Adversi venti eeciderunt: album est mare. quodsi pergunt diutius mare volvere, vereor ne me quoque, quom domum ab Ilio eossim venero (revertero), praeter canem cognoscat nemo. quom* Roeperus restituit, ducibus libris, qui altero loco *quo*, altero perhibent *cum*. *eossim* nolim fidentius damnare cum Roepero, qui quod Laurenbergius scribit *cessim* praefert. Apud Nonium quidem est p. 40, 30 '*eossim*' *dictum quasi coxim.* Sed vide C. L. Schneiderum in gramm. lat. I p. 355, Handium in Tursellino II p. 79 sqq. Nec in ceteris f[illegible]ile in Roeperi par-

tes pedibus ibo: sic obtineo *domum*, quod Roeperus ipse modo delevit modo retinuit, prout versibus, quos fingebat, conveniret. Nec approbo *qui si*, quo ne apte quidem interiectis his *album est mare* continuatur oratio. Coniunctim scribi *quodsi* oportebat, ut alibi Varro in his saturis. In eo haereo, utrum *venero* praeferam an *revertero*: hoc enim, quod est altero loco Nonii, non est cur interpolationis arguat Roeperus: nam ne hoc quidem *cessim* (ut sit *retro*) *revertero* abhorret a latinitate. Hoc novi saepius in libris praefixas verbis particulas decidisse, ut in eis exemplis quae supra tetigi p. 98 et in unico BAIARUM fragmento Meinekius pro *puellascunt* restituit rectissime *veteres repuerascunt*, cuius verbi extant exempla apud Nonium p. 165, 25 et habet fortasse praesidium in ipso illo lemmate Nonii p. 154, 7: '*puellascere*' *ecfeminari vel reviridescere*. Denique quod pro his *ab Ilio* altero loco Nonii *ab dalio* scribitur, inde non improbabiliter Roeperus, adstipulante codice Pii, *ab Ilio alto* elicuit. Tantum de verbis: novae difficultates oboriuntur a metro, in quo cum olim Iunius et Popma operam lusissent, Roeperus maiore molimine rem aggressus, nihil tamen quod vel ipsi satis faceret excogitavit. Illud quasi impingitur in aures, haec senarium efficere:

Advérsi venti cécidertunt: albúmst mare.

In reliquis haerent numeri: nec quoquo te verteris, sine audacculis mutationibus licet probos versus effingere. Nam probus non est, quem proxima offerant, senarius:

Quodsi pergunt diútius mare vólvere.

Quare haud scio an Varro versui illi prosarium sermonem continuaverit, qui sicubi paullo numerosior excidit, videndum est, ne quod casu factum sit consilio tribuatur scriptoris. Sed ne desit refictorum versuum exemplum, infra scripsi tales, quales quidem sine offensione legi videntur:

Advérsi venti cécidertunt: albúmst mare.
Quodsi [illi] pergunt diútius mare vólvere,
Vereór ne me quoque, quóm domum [alta] ab Ilio
Cessim revertero, [é meis] praetér canem
Cognóscat nem

Postremo aut nullum aut pertenue imitationis Homericae vestigium est in fr. 23:

Quo cum ire vellemus, obvius flare: ubi corpori aerinas compedes impositas video.

aërinas, quod est ab aëre, non ab aere, Roeperus vindicavit. Idem, quo locus Varronis illustraretur, hunc Odysseae versum XII 325 (non 125) monstravit:

Μῆνα δὲ πάντ' ἄλληκτος ἄη Νότος, οὐδέ τις ἄλλος
Γίγνετ' ἔπειτ' ἀνέμων.

quamquam quis affirmet Austrum fuisse, illi qui obvius flavit? Pro *vellemus* quod Roeperus *vellem is* e margine Iunii (Non. p. 28, 12) ascivit, *vellem* commendatur insequenti *video*. *is* autem, quod quo referretur non potuit facile per hanc enuntiati formam in proxime superioribus habere, displicet: malim *usque obvius flare*, id quod aërinis compedibus adiuvatur et versu Homeri. Nec vero recte continuari verba videntur, sed media quaedam Nonii festinatione aut culpa scribarum interciderunt. Ut corruat hoc nomine ne ceteroquin quidem commendabilis Roeperi restitutio metrica:

quo cum ire vellem, is óbvius
Fláre: ubi corpori áërinas impósitas video cómpedes.

Sic potius octonariorum mensura distribui fragmenti particulae debebant:

quo cum ire vellem, usque óbvius flare . . . .
ubi córpori
Aërinas compedés impositas video . . . . .

Tantum est fragmentorum, in quibus sive expressius sive tenuius Homericae imitationis vestigium agnoscas. Sunt porro alia, quae licet non sui similia in Odyssea habeant, tamen commode in narratione maritimorum cursuum et errorum locum obtineant. Promiscue ex eo genere dabo fragmenta, quorum nulla umquam divinatio poterit vel ordinem vel occasionem definire.

12 *Ventus succasu vehementius sufflare et calcar admovere.*

succasu libri Nonii p. 451, 28 depravate, in quo olim *occasum*

latere opinati sunt: sic Lipsius *sub occasum*, alii vel *sub* vel *ex occasu*. Verum, ut puto, Roeperus invenit: *buccas suas*, quemadmodum Plautus in Sticho 721 sq. (V 4, 41): *age tibicen, quom bibisti, refer ad labeas tibias, Suffla celeriter tibi buccas:* et notus est buccas inflans Iuppiter Horatianus. Eidem Roepero debentur numeri:

> . . . *ventus búccas suas veheméntius*
> *Suffláre et calcar ádmovere* [*flúctibus*].

Ibi ut ille nescio quis qui in peregrinatione conflictatur ingruentem vim venti, sic insequenti fr. imminentes imbres reformidat.

13 *Uigere volitans mulsus, aquam e nubibus tortam indicat fore, ut texillum pastor sibi sumat.*

Ita libri Nonii p. 179, 1, ut mittam leviusculos describentium errores: *foro ut; pastor subi. texillum* dubito num servari debeat: in lemmate Nonii scribitur '*tegillum' dimminutivum a tecto*. Sed gravius depravatum est initium fragmenti: in quo *miluus* e *mulsus* voce Iunii sagacitas elicuit: cuius emendationem Scaliger perfecit in coniectaneis p. 36, qui in *uigere* Nonii latere *iugere* pervidit. Nam *iugere milui dicuntur, cum vocem emittunt*, ut est apud Paulum Festi p. 104 M. Cf. adn. Mülleri. Denique omne punctum tulit Roeperus, qui ascitis Iunii Scaligerique inventis verba Varronis in duos sotadeos distribuit:

> *Iúgere volitáns milvus aquam é nubibu' tórtam*
> *Indicat fore, út tegillum pástor sibi súmat.*

A quanam voce haec *iugere volitans* suspensa fuerint, dubium est. Scaligeri *visus*, Roepero acceptum, mihi, cum audiendi, percipiendi vocabulum expectaverim, displicet. Cetera aliorum quae Roeperus recensuit (addi potuit Kochii commentum in exercitationibus p. 29) ipsiusque Roeperi conamina priora praetermitto.

Dubitanter illi generi fragmentorum addo

16 *Vias stelligeras aetheris explicans aere cavo sonitum hic in coturnis.*

Ascripsi sordes Nonii p. 299, 30, quas nemo superiorum, quod

sciam, intentius attigit: nec prospere cessit emendandi periculum Oehlero: *vias stelligeras aetheris explicans aëre cavo sonitum emisit coturnix:* quae quomodo intellegi velit, legatur apud ipsum. Infelici autem emendationi cum Kochius adhaeserit, ne ipse quidem quicquam probabile excogitavit in exerc. p. 30. Voluit autem exceptum a pedestri sermone septenarium:

Aétheris viás stelligeras èxplicans cavo áëre
sonitum cicit coturnix.

Longe prudentius in eo fragmento Roeperus elaboravit, qui et probam sententiam restituit et dactylicos numeros agnovit:

. . . [perque] vias aetheri' stelligeras
Explicat aere cavo sonitum hic nocturnus . . .

Suppleri et versum et enuntiatum posse vel sic: κεραύλης, vel: *ab arce Excubitor.* Unum est, de quo secus sentio: non esse hoc distichon, sed hexametro praemitti aliud genus versuum. Cum enim ne hoc quidem a Varrone alienum videatur, in eadem sententiae comprehensione metra diversa conglutinari, malim servato verborum ordine superiora ita dimetiri

viás stelligeras aétheris

ut vel septenarii exitus sit. Consulto hoc valde lacerum fragmentum posui in confinio illarum reliquiarum, quae errores ac peregrinationem referunt, et harum, quas deinceps scripsi, quibus animus subito a reditus calamitatibus ad militem ac militiam Romanam advertitur.

6 *Antequam militia subactus aliquot annis erat.*

2 *In castris permansi: inde caballum reduxi ad censorem.*

3 *Itaque tum ecum mordacem calcitronem horridum miles ac vir non vitabat.*

4 *Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento ecum.*

Fr. 6 cum in libris p. 401, 12 sit *mitia*, Mercerus scite reposuit *militia:* quam tamen parum lenem correctionem Roeperus habuit: dicat unde ortum putet velut hoc quod apud Ciceronem

de legibus II 12, 31 in codicibus scribitur, *nihil domi, nihil familiae* pro *nihil militiae*. Sed ipsi praeplacet suum inventum *mitis ac*, quod nec lenius esse nec congruere proximis *subactus aliquot annis* concedo. Numeri aperti sunt nec fugerunt Roeperum:

ántequam
Mílitia subáctus aliquot ánnis erat.

Quem versum cum cohaerere dicam cum fr. 2 *in castris permansi* e. q. s., cavendum est, ne quis in *erat* tertia persona offendat. Nimirum e tali fere ambitu sententiae Nonius illa decerpsit: 'Quandoquidem ex antiquo more nemo ad magistratus accedere potuit, antequam aliquot annis militia subactus erat, militiam capessivi.' Cf. Merceri adn. ad Non. p. 401, 12 et Polybii locum libri VI 19, 4: πολιτικὴν δὲ λαβεῖν ἀρχὴν οὐκ ἔξεστιν οὐδενὶ πρότερον ἐὰν μὴ δέκα στρατείας ἐνιαυσίους ᾖ τετελεκώς.

Fr. 2 quod Roeperus aeque bene in heroicorum quam in Aristophaniorum partes coire dicit, mihi neutra forma suavior ad aures accidit: caesurae, quam ille neglexit, reposito *deinde* consuli possit:

. . . *in castris permansi : deinde caballum*
Redduxi ad censorem

vel: . . . . *in castris permánsi : deinde cabállum*
Reddúxi ad censorem.

Redduxi quidem nihil offensionis habet: cf. Lachmannus ad Lucretii V 614. Sed tamen fortasse eludunt ea falsa metri specie, nec illa quidem mutatio ferenda. Certius mensuram prodit fr. 3, quod Roeperus *tunc* reponens pro *tum* in septenarii formam describit:

'Itaque tunc ecúm mordacem cálcitronem hórridum
Miles ac vir nón vitabat.

Sed hiatu, quem esse in fine illius versus voluit, parum accurate defunctus est. C. L. Schneideri enim gramm. lat. I p. 158 sq., quod affert, fallaci testimonio utitur: quando quae ibi congeruntur hiatus exempla, eorum pars dispari genere continetur, quae vero similia sint illi Plauti Terentiique exempla, ea

scire debebat hodie Ritschelii maxime Fleckeisenique sollertia sublata esse. Ritschelius autem quae in prolegomenis ad Trinummum p. CLXXXVIII sq. de omni hiatus ratione disputaverit, eis vereor ut Roeperus satis prudenter in suam partem usus sit. Quid igitur? Aut nullus est ille versus, quantumvis videatur, aut delendus erit hiatus: id quod hoc modo licebat:

'Itaque tunc ecúm mordacem cálcitronemve hórridus
Míles ac vir nón vitabat.

Additam *ve* particulam commendat laudatus a Roepero Labeo apud Gellium IV 2, 5: *equus mordax aut calcitro vitiosus non morbosus est. horridus miles* autem, ut est in margine Iunii, cum Ennii versu adiuvetur ann. 273: *spernitur orator bonus, horridu' miles amatur*, tum non solum non verendum, ne '*horridus*, quo loco positum sit, nimium efferatur', sed ea ipsa vi vocis nihil magis congruit sententiae Varronis, qui horrido pristini temporis militi suae aetatis trossulos delicatos (fr. 4) opponit. Hoc autem fr. 4 cum, ut supra scripsi, in libris perhibeatur, Roeperus in septenario, quem efformavit, non ferendam esse post creticum cum spondaica voce coniunctam anapaesticam prudenter iudicavit. Quare quo constarent numeri, quos certa indicia et aperta cum superiore fr. coniunctio suadent, transpositionem adhibuit:

Nárdo nitidi tróssuli vulgo 'Attico talénto ecum.

Videor mihi paullo lenius versus legi satisfacere posse:

núnc emunt
Tróssuli nardó nitidi, ut vulgo, 'Attico talénto ecum.

ut vulgo quod aequat fere graecum ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. Itaque possunt nunc haec superioribus ita fere continuari:

'Itaque tunc ecúm mordacem cálcitronemve hórridus
Míles ac vir nón vitabat: [ádeo contra] núnc emunt
Tróssuli nardó nitidi, ut vulgo, 'Attico talénto ecum.

Eodem enim ambitu illas sententias comprehendi, ea, quae Varroni in deliciis, *tunc — nunc* particularum oppositio exigit. Quippe cardo et summa universae rationis Varronianae in con-

forendis cum sincera antiquitate depravatis recentioris actatis moribus versatur. Cf. p. 68. Illis, quae de militum mollitia exprompsit, occasionem dedit id, quod Varronem ipsum de sua militia narravisse fr. 2 indicio est. Cur enim haec ad alium potius, quem loquentem induxerit, quam ad Varronem ipsum referamus, quem strenue militiae munera obiisse constat? Cf. C. L. Rothius *(über d. Leben d. M. Ter. Varro. Basel* 1857) p. 11 sqq. Ipsum autem de se disputantem Varronem cum semel nacti simus, nulla res magis in proclivi est quam ad eiusdem Varronis personam referre ea, quae supra de erroribus ac peregrinandi casibus e reliquiis expiscati sumus: ut semet ipsum in hac satura tamquam alterum vel potius sesquialterum Ulixem depinxerit. Etenim reminiscendum est, quod non praeteriit Mommsenum hist. Rom. III p. 584, Varronem in saturis suis ipsum saepius partes primarias obtinere. Ita in Sexagessi tamquam alter Epimenides ex quinquaginta annorum somnio Romam redux de interea factis morum ac disciplinae commutationibus gravitor conqueritur. In qua satura de alio, cui eam personam induerit, cogitare non sinit fr. 16 *Erras, inquit, Marce, accusare nos: ruminaris antiquitates:* in quo fr. nescio an *erras* corruptum sit e *parcas* vel potius *compercas.* Eundemque Varronem tamquam interlocutorem primarium refert fr. 20. Cf. de eius saturae argumento et dispositione Mommsenum l. c. p. 590. Compari indole fuisse Bimarcum fr. 14 monemur: *Ebrius es, Marce, Odyssian enim Homeri ruminari incipis.* De cuius fr. rationibus dicam infra. Nec inscite Mommsenus 'libellionem' qui est in Manii fr. 18 *Tum ad me fuerunt, quod libellionem esse sciebant,* Varronem agnovit, qui non potuit profecto lepidius sequo suamque librorum et notitiam et confectionem designare. Dicam breviter hac occasione de qua re videatur in ea satura Varro consultus fuisse. Admonet enim fr. 8: *Quod dum administrant, in scrobe fodiendo inveniunt arcam* Numae Pompilii librorum e terra erutorum: quam rem non semel Varro in aliis libris tetigit. Cf. Rothius fragm. histor. Rom. p. 418. Quid si Varro in illa satura ea narratione ita usus sit, ut de inventis illis libris memorabilibus semet ipsum ut libellionem aditum esse finxerit?

Porro interlocutorem Varronem ipsum nomen ostendit in Τρι-φαλλωι fr. 2 *Ego nihil Varro video: ita hic obscurat, qui ante me est nescio qui longurio.* Ac Γεροντοδιδασκαλον, licet eiusmodi certius indicium desit, quin Varro ipse, non alius quis egerit, ob totius saturae indolem dubitari nequit. Cf. Mommsenus l. c. p. 589. Et quem tu putas in Testamento fr. 2 haec de Menippearum saturarum tutela praecipere: *E mea Philophthonia natis, quos Menippea haeresis nutricata est, tutores do 'Qui rem Romanam Latiumque augiscere vultis.'* Vel Tithonum esse, qui in cognomine satura dicit:

5 *Risi multum, lúsi modice ïámbis*

et fr. 4 *Sic invitata matura anima corporeum corticem facile relinquit.*

In illo fragmento, ut hoc in transcursu moneam, librorum *ambis* correxit Oehlerus, numeros non agnovit. Roeperus, cum malit seorsum ab aliis indicare, anapaestos statuit,

Risi multum, lusí modice
Iam sátis.

Quibus ego non plus fidei habeo quam eis, quos e Περιπλου Lib. II fr. 2 eruit, de quo non debebat neglegere, quae Ritschelius scripsit de Varronis disciplinarum libris p. 14. Alterum illud fragmentum in generaliorem sententiam accepit Krahnerus de Varronis philosophia p. 21. Itaque tantum his exemplis vicisse videor, ut non sine ratione sub Sesquiulixis persona delitescentem Varronem agnoverim. Unde corruit iam opinatio Roeperi, Varronem in hac satura 'ad Ulixis vel astutiam vel casus erroresque ridicule composuisse vel exaggerasse Sesquiulixem aliquem Cynicum, velut Herculem Socraticum,' ex quo Varro alius saturae indicem petiit. Illud quoque iam manifestum videtur Varronem alio ac supra perscripsi singulas reliquias ordine suam instituisse narrationem: quando militiam probabile est exceptam fuisse ab iis, quae ad peregrinationem attineant. Ab utroque autem genere fragmentorum rursus secernenda sunt tria, quae primo

loco posui: quae cum obliqua enuntiatorum conformatione tam inter se contineantur quam segregentur a reliquis, praemissa per colloquium ipsi Ulixei erroris narrationi fuisse suspicor, quo praepararentur reliqua et similitudo Varronianae cum Ulixis condicione ac calamitatibus quasi ante oculos poneretur: fere ut apud Lucianum in ea satura, cui lepidum Icaromenippi nomen praefixum est, Menippus priusquam suum cursum aërium enarraret, non omisit auctorum Daedali et Icari admonere. Quod quidem opusculum vere Menippeum etiam aliis nominibus apte cum nostra satura conferre licet: quae nunc non persequor. Pergam interim totum reliquiarum ambitum permetiri. Etenim prospero casu factum est, quod eius, quae tot fragmentis refertur, peregrinationis etiam quasi terminos quosdam agnoscere licet. Designantur enim Roma, Athenae, Asia, ita quidem, ut quasi uno conspectu Varro eas quas adierit regiones proposuisse videatur.

17 *Ubi quod lupam alumni fellarunt olim.*

18 *Ubi nitidi ephebi veste pulla candidi*
Modeste amicti . . pascunt pectore.

19 *Ubi et dicantur barbari innumerabiles*
Lateres aureos habuisse.

Etenim lupae mammas sugentes (h. e. enim *fellare*: cf. p. 90) alumnos Romulum et Remum esse, ut quivis agnoscit, ita admonuit Columna ad Ennii fragmenta p. 56 ed. Neap. Ephebos autem veste pulla candidos Meinekius dici iuvenes Athenienses vidit. Denique barbarorum lateres aurei Lydorum nos admonent et aurum vehentis Pactoli, de quo Varro in Ekatombh fr. 1:

Lydón fluens sub Sárdibus flumén tulit
Aurúm, later quod cónquadravit régius.

Quos versus quibus modis Oehleri imperitia deformaverit, videatur apud ipsum. Cf. Roeperus. Referenda autem verba ad Croesum, quem tradebant e Pactoli auro confectos lateres Apollini Delphico dono misisse. Testimonia de ea re veterum vide apud Roeperum. Sic cum semel in Asiam ac Lydiam

deducamur, ne illud quidem admirabile, quod fr. 24 ab Ilio reducem indicat: nisi malis in eo simulationem tantummodo ob Homeri Odysseam factam agnoscere. Ergo de sententia illorum fragmentorum cum constet, quaerendum de scriptura singulorum. Atque fr. 17 cum ita tradatur apud Nonium p. 242, 32 ut supra scripsi, Oehlerus imperite *quondam* reposuit pro *quod*, quasi tam incompertum esset, a Nonio imperfectas scriptorum sententias referri. Roeperus autem cum in numeros redigere verba cuperet, duplex exemplum proposuit:

. . . . ubi quód lupam
Fellárunt olim alúmni.

vel: *ubi (ubei) quod olim alúmni fellarúnt lupam.*

Neutrum probabile, si ad Nonii memoriam exigas. Distribuo ita:

ubi quód lupam
Alúmni fellavérunt olim.

Fr. 18 Nonius p. 368, 28 ita scribit: *ubi nitidi efoebi, veste pulla candidi, modeste amictus pascunt pectore.* De quibus quid alii instituerint, legatur apud Roeperum. Certum est, priorem versum, modo *efebi* vel *ephebi* reponas, integrum esse, alterum tam numeri quam sententia persuadent lacuna laborare. Quam cum primus Doederlinus in synon. III p. 206 agnovisset, Meinekius, quo incumbentes ad philosophiam adulescentes Athenienses significarentur, suasit:

modéste amicti [sóphia] pascunt péctora;

Roeperus, cum ephebicae chlamydis color a luctu et lugendo repetatur, praefert:

modéste amicti [lúctus] pascunt péctore.

Quod licet mutationis ratione commendetur, tamen improbabile videtur mihi ephebos dici maxime luctus pectoribus pascere. Ut consultius habeam, dum certius quid allatum erit, in Meinekii additamento acquiescere. In fr. 19, quod apud Nonium p. 131, 14 ita scribitur: *ubi educantur (edicuntur* Bamb.) *barbati innumerabiles lateres aureos habuisse, barbari* Iunius, *et dicuntur* Oehlerus correxerunt. Nec versus ut sunt satis aperti quemquam fuge-

runt, sed ii septenarii sint trochaici an ut superiores ïambici senarii dubitari potest. Septenarii enim cum facile ita procedant:

> . . . *ubi ét dicuntur bárbari innumerábiles*
> *Láteres aureós habuisse,*

senarios ubi effingere velis obstat intolerabile alterius versus initium:

> *laterés aureós habuisse.*

Cui offensioni quo occurreret Roeperum non destituit transponendi machina:

> *habuisse lateres aúreos.*

Attamen quamvis optarim fragmenta, quae sua conformatione ac sententia contineantur, eodem decurrere numero (aliam enim causam cur praeferam senarios non video: nec quid tragicus versus apud Ciceronem de nat. deor. I 42, 119 ad Varronem valeat, intellego), tamen qui discere potius e reliquiis Varronis morem quam docere ipsum cupiat, in tradita memoria et qui ea commendantur septenariis perstabit. Denique non imperitum Roeperi commentum *flavisse* ego non tanti facio, ut condemnem *habuisse.*

Atque haec quidem cum conveniant omni illi de itineribus narrationi, a ceteris longe abhorrent eae reliquiae, quas e media philosophia delibatas esse res ipsa indicat. Sunt autem hae:

8 *Unamque viam Zenona moenisse duce virtute, hanc esse nobilem: alteram Carneadem desubulasse, bona corporis secutum.*

7 *Alteram viam deformasse Carneadem virtutis e cupis acris aceti.*

Quorum prius Nonius tradit p. 99, 30 in hunc modum: '*Desubulare*' *perfodere. V. Sesq.* '*unam veniam essenona movisse duce virtute*' e. q. s. Leviter depravatum *unam veniam* cum tripliciter correctum iverint aut *unam viam* aut *unamque viam* aut *unam enim viam*, eorum nullum est, quod non sua ratione probari possit. In hac forma *essenona* Scaliger in Ausonianis lectionibus II 31 (ed. Lugd. 1574 p. 173) Zenonis nomen agnovit: in quo nomine quod *ss* scribitur pro *z*, cf. quae O. Ribbeckius de Mezentio disputavit in novo musoo Rhen. XII p.

419 sq.; praemissa autem duplici *s* initiali *e* littera ad id genus pertinet, quod saepius tetigi: vid. p. 28. 49. Graecam accusativi formam quod Roeperus ductus ille quidem metrica, quam infra dicam, ratione sustulit, parum considerate egit in Varrone, qui, ut pauca de multis delibem, maluit *Attices philosophiae*, *chorean astricen*, *physicen*, *Delphice columna*, *Odyssian* quam earundem vocum formas latinas efferre. *movisse* librorum cum stare nequeat, Scaliger, quo nihil proclivius erat, *moenisse* reposuit, ut in simili causa idem Varro loco infra citando: *dextimam viam munit Epicurus*. Nec quod ibi nullum in libris antiquioris scripturae vestigium apparet, spernere eam nostro loco debebat Roeperus, qui ipse non inscite quidem *molivisse* excogitavit, cui tamen illud et usu et notione praestare arbitror: ac metro poterat haec forma *moenivisse* aeque ac *molivisse* accommodari. Atque haec quidem pars sententiae, quae est de Zenone, plana ac perspicua est: eo magis implicata altera de Carneade. Etenim *desubulasse* num verum sit, et si verum, quid maxime significet, ambigitur. De illo nobis otium fecit Roeperus, qui *desubulasse* contra Scaligeri *desabulasse* copiose defendit: nisi quod de sabulae usu ad sternendam humum vel vias paviendas erravit: cf. Varronis ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ fr. 21. Notionem autem *desubulandi* parum apposite et ut ne sibi quidem ipsi constitisse videatur explicuit. Recte de subulae forma et usu hoc e testimoniis quibusdam elicuit, instrumentum fuisse e genere marculorum vel malleorum, praeacutum et rostratum ac fere ad subulae sutoriae similitudinem accedens, quo uterentur ad dolandos lapides, antequam possent levigari. Quem quidem usum subulae, quo omnem suam regi explicationem Roeperus voluit, ita agnosco, ut quivis alius, cui aptum sit instrumentum, non excludatur: iisdemque finibus vim desubulandi circumscribi oportet, ut iam de sternenda vel complananda via cogitari non debeat. Roeperus etiam Nonii explicationem esse reiiciendam putavit '*desubulare*' *perfodere*, quam aut errore Nonii ortam aut mancam aut depravatam esse arbitratur. Quae reponi suadet *perpolire* vel *perdolare*, ea ut ne ipsius quidem explicationi conveniunt, ita temere inferri mihi videntur, cum et possit *desubulare* perfo-

diendi notionem habere, nec ratio absit, qua Carneades perfodisse viam dicatur. Hanc enim Nonii explicationem, modo ne nimium urgeas, id valere apparet, Carneadem non stravisse vel complanasse viam, sed e contrario quasi eruisse humum vel evertisse subula. Quae quidem sententia cum apposite ingenium Carneadis referat, qui quae aliis rite composita essent ea acutis disputandi artificiis vel argutiis diluere soleret, tum apte a Carneade eruta et eversa via stratae ac muuitae Zenonis opponitur. Denique illi scutcutiae adhaeret commode fr. 7 *alteram viam deformasse Carneadem virtutis e cupis acris aceti:* quod quam parum suae congruat opinioni, videat Roeperus ipse. Videtur autem hoc fragmento, interpellante fortasse interlocutore aliquo, repeti et planius eadem sententia efferri. Cuius tamen perspicuitatem uobis Nonii festinatio invidit, qui eam uon modo fiue curtatam, sed etiam iu mediis verbis mutilam adscripsit. Nam nec haec *e cupis acris aceti* apte cum illis *viam deformasse* coniungi, nec *virtutis* commodius videtur cum *via* quam cum *cupis aceti* coire. Acre acetum, quod Carneadi tribuitur, pridem perspectum est eius philosophi mirificam in utramque partem disputandi aciem significare. Cf. Roeperum et Prelleri hist. philos. graecae et rom. p. 442. Differentiam vero, qua Varro a Zenone distare Carneadem dicit, licet, ne longius expatier, e Ciceronis Academ. pr. illustrare II 42, 130: *Aristonem, qui cum Zenonis fuisset auditor, re probavit ea quae ille verbis, nihil esse bonum nisi virtutem, neque malum nisi quod virtuti esset contrarium:* et de eodem Zenone ibid. 134: *Zeno in una virtute positam beatam vitam putat.* De Carneade autem ibid. 131: *introducebat etiam Carneades, non quo probaret, sed ut opponeret Stoicis, summum bonum esse frui iis rebus, quas primas natura conciliavisset.* Haec enim 'quae a veteribus philosophis τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν appellata sunt' Madvicus ad Ciceronem de finibus b. et m. p. 828 sq. docuit nonnumquam, ut a Varrone factum est, non satis accurate bona corporis dici. Cf. Ciceronis de finibus b. et m. II 11. 12. Vide Roeperum. Sed hanc omnem philosophorum de fine vel summo bono dissensionem qua ratione Varro tradidisse videatur, cum ex hac satura duo tantum frustula

fortuna vel Nonii sedulitas concesserit, ex altera quae est Περι Αιρεσεων et e Varronis libro de philosophia paullo plenius licet animo informare. Fragmentum eius saturae hoc est:

1 *Porro inde ab uno quoque compito ternae viae oriuntur, e quibus singulae exitum ac* τέλος *habent proprium. a primo compito dextimam viam munit Epicurus.*

E libro autem de philosophia quae huc pertineant Augustinus, quem Oehlerus indicavit, de civitate dei XIX 1 excerpsit: *Quattuor esse quaedam, quae homines sine magistro, sine ullo doctrinae adminiculo, sine industria vel arte vivendi, quae virtus dicitur et procul dubio discitur, velut naturaliter appetunt: aut voluptatem, qua delectabiliter movetur corporis sensus: aut quietem, qua fit, ut nullam molestiam quisque corporis patiatur, aut utramque, quam tamen uno nomine voluptatis Epicurus appellat: aut universaliter prima naturae, in quibus et haec sunt et alia, vel in corpore, ut membrorum integritas et salus atque incolumitas eius, vel in animo, ut sunt ea, quae vel parva vel magna in hominum reperiuntur ingeniis. haec igitur quattuor, id est voluptas, quies, utrumque, prima naturae, ita sunt in nobis, ut vel virtus, quam postea doctrina inserit, propter haec appetenda sit, aut ista propter virtutem, aut utraque propter se ipsa, ac per hoc fiunt hinc duodecim sectae. per hanc enim rationem singulae triplicantur, quod cum in uno demonstravero, difficile non erit id in ceteris invenire. cum ergo voluptas corporis animi virtuti aut subditur aut praefertur aut iungitur, tripertita variatur diversitate sectarum.* Itaque licet nunc ternas vias, quae in illo fragmento dicuntur, triplicem rationem intellegere, qua exempli gratia voluptas virtuti aut subdatur aut praeferatur aut iungatur. Nec quamvis compitorum numerus ibi non expresse tradatur dubitari debebit, quin quattuor fuerint, cum praesertim constet Varroni quadripartitionem in deliciis fuisse. Cf. de l. l. V 11 cum adn. Mülleri. Ergo quattuor compitorum unum secta eorum obtinuit, qui voluptatem, alterum, qui quietem, tertium, qui utrumque, quartum, qui prima naturae finem esse praedicarent. Epicurum, qui in libro de philosophia tertium locum occupat, in satura illa in primo compito collocavit, unde fortasse colligi potest, Varronem aliter in libro de philosophia, aliter

in satura de Epicuri voluptate iudicasse. Sed hoc levidense est. Iam cum in SESQUIULIXIS fragmentis eandem viarum imaginem ad illustrandam Carneadis et Zenonis de fine dissensionem adhibitam legamus, non absona est suspitio, Varronem in hac quoque satura eandem vel similem discernendi has philosophorum controversias rationem et imaginem etiam in reliquis persecutum esse, ut ne hinc quidem vel ternae viae vel quaternaria compitorum distributio alienae fuerint. Quid vero, si ne esset quidem haec sola sententiarum in diversis saturis similitudo, sed eae reliquiae ad unum eundemque disputationis cursum referri deberent? Sic enim olim quasi suspensa manu M. Hertzius coniecit, nuper certius affirmavit Mercklinus, eam saturam, cui vulgo ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ inscribitur, non esse aliam ac SESQUIULIXEM, cui duplicem indicem SESQUIULIXES ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ pro more Varronis reddi oporteret. Acquievit uterque in mera illa, quam illustravimus, sententiarum cognatione, quam tamen ego isti conglutinandi titulos conamini non sufficere arbitror. Ac concessit Mercklinus ipse, quo mirum est eum non vidisse suam labefactari opinationem, in compluribus saturis Varronem ad philosophorum αἱρέσεις devertisse: quamquam ne hoc quidem eo probatur exemplo, quod ille e TESTAMENTO repetiit: *quos Menippea haeresis nutricata est:* vid. supra p. 111. Poterat multo commodius EUMENIDES afferre, in quibus infra ostendam Varronem multorum philosophorum θεωρήματα percurrisse, sed ita ut non in una de summo bono controversia, quae regnare in SESQUIULIXE videtur, subsisteret. Zenonem certe ne ibi quidem desideramus: vid. fr. 25. Quare ne praesidio destituta esset coniectura, inquirendum erat, an illa talis esset sententiarum affinitas, ut ultro sub diversis titulis allatae reliquiae in unum eundemque disputationis ambitum quasi coalescerent. Nec neglegendae erant ceterae quae περὶ αἱρέσεων citantur reliquiae, an non alienae essent a SESQUIULIXIS argumento. Atque concedo ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ frr. 2 et 3, quorum illud et ipsum tangere philosophiam videtur, hoc exorientis lunae appellationem continet, posse sibi locum in SESQUIULIXE parare. Illud vero, quo Mercklinus maxime nititur, fragmentum quominus cum SESQUIULIXIS de Zenone et Carneade

reliquiis copuletur, obstare videatur alicui adversa sententiarum affinitati enuntiatorum conformatio, quae in illo fragmento recta, in SESQUIULIXIS reliquiis est obliqua. Praesto tamen est unum de his reliquiis exemplum, quo probetur licuisse Varroni intra unius paullo prolixioris comprehensionis fines e recta oratione deflectere in obliquam vel invicem. In SEXAGESSI enim cum Varro de se incipiat narrare fr. 1 *Se circumspexe atque invenisse, cum dormire coepisset tam glaber, quam Socrates calvus, se esse factum ericium e pilis albis cum proboscide*, pertexit deinde rectam orationem fr. 2: *Romam regressus ibi nihil offendi, quod ante annos quinquaginta, cum primum dormire coepi, reliqui*, et sic deinceps reliqua. Adiiciatur, quo in illo exemplo variatio structurae excusetur, non potuisse eodem quo Epicurus compito collocatus sit Carneadem et Zenonem constare. Epicurus enim cum suam de summo bono sententiam voluptate regi voluisset, Zenoni et Carneadi communis erat primorum naturae respectus, dissensio ea ratione constabat, qua prima naturae aut praeferri aut subdi honesto volebant. Neque id nimis urgeo, quod in illo compito dextera, sinistra, media, in hoc una, altera, tertia viae distingui videantur. Immo potuisse eas reliquias olim aliquo modo conexas fuisse non denego, quamquam ita non coëunt, ut quasi mutuo copulari gestiant. At vero abhorret a more Varronis saturae simpliciter tale quale hoc est περὶ αἱρέσεων inscribere, nec magis congruit eiusdem consuetudini mero nomine quale est Sesquiulixes defungi. Quare quid probabilius quam his conglutinatis integram e suis partibus inscriptionem et unam saturam e duabus refingere? cum praesertim αἱρέσεις tractatas esse in Sesquiulixe reliquiae indicent. Concederem huic ratiocinationi non deesse probabilitatem, modo certior esset ea omnis, quam Mercklinus persecutus est, titulorum Varronianorum norma: quae quibus etiamnunc obnoxia sit dubitationibus, ne nunc huius saturae enarratio immodice interrumpatur, plenius ac dedita opera infra probabo. Nunc nobis illius fragmenti 1 ΠΕΡΙ ΑΙΡΕΣΕΩΝ non alius ad hanc saturam usus esse potest, quam ut mente suppleamus eam disputationis partem, unde supersunt illae de Zenone et Carneade reliquiae. Suspicor autem hunc de philosophia prae-

sertim morali locum finem ac primariam huius saturae partem fuisse. Fuit enim Varro Menippeus multus in exagitandis philosophorum ineptiis, et hanc ipsam decantatam de finibus dissensionem credibile est ei uberem deridendi cavillandique materiam praebuisse: nisi quis malit eum docendi potius quam ridendi causa hanc philosophorum controversiam persecutum esse, quando ne hoc quidem consilium alienum a saturis fuit: cf. Krahnerus de Varronis philosophia p. 10 et 20. Cum vero nollet in satura aridiore stilo thema e philosophorum scholis pertractare, vividiorem ac fere scaenicam, cui illa immisceret, narrationem ascivit, quae iam per se suis salibus ac lepore placere posset. Itaque fere ut Lucianus in Icaromenippo, quem supra tetigi, quo nugas et argutias philosophorum salse castigaret, cursum illum Menippi aërium finxit, sic Varro, induta Sesquiulixis persona, se Cryphiolathroniam aliquam summi boni, de quo 'praeclari philosophi' rixarentur, indagaturum, Ulixis subiisse errores simulavit. Sesquiulixem autem, non simpliciter Ulixem inscripsit, ne meram Odysseam ruminatus videretur, sed hunc novum Ulixem inscriptione subindicaret propria dote vincere veterem. Mommsenus eius nominis consilium a numero annorum repetiit, quos ille non decem sed quindecim in erroribus contrivisset: C. L. Rothius l. c. p. 18 fere ad Ausonii Popmae sententiam hunc Sesquiulixem dimidia parte callidiorem et versutiorem Homerico designari arbitratur. Mihi, qui talia nec posse nunc nec debere nimis urgeri existimem, sufficit indicium, quod in philosophica parte saturae agnovi. Restat, priusquam ex his reliquiis philosophicis pergam ad alias, ut Roeperi inde versus resuscitandi conamina diiudicem. Ergo sic duas illas reliquias distribuit:

7 *'Alteram Carnéadem deformásse virtutis viam*
'Acris e cupis aceti

8 . . . . *únam Zenoném viam*
Mólivisse dúce virtute, hanc ésse nobilem: álteram
Cárneadem desúbulasse, bóna secutum córporis.

Quorum illud cum inconcessa transponendi licentia, quam p. 65 perstrinxi, exculpserit, tum quam incerta sit ipsa enuntiati

conformatio ex eis colligitur quae p. 116 monui. Quare cum ipsam sententiam curtatam esse arbitror, etiam numeris, si qui inerant, non tam disturbatum verborum ordinem quam mutilatam et lacunosam orationem obesse mihi persuadeo. In fr. 8 quid displiceat, supra dixi. Nec tamen negari potest, certos illorum verborum numeros ad aures cadere, velut alter eorum versuum sua sponte, sive *molivisse* sive quod malim *moenivisse* reposueris, emergit. Nec in tertio non tolerabilis est illa transpositio traditorum *bona corporis secutum*. Haereo imprimis in initio fragmenti, a quo nolim *Zenona* formam abstergeri, ut fortasse trochaicis septenariis praemissum fuerit aliud genus versuum, ex quo restant haec:

unámque viam Zenóna.

Multo minoris fidei est mihi quidem ratio, qua idem Roeperus fr. 1, de quo diximus, Περὶ Αἱρέσεων senariis descripsit:

Porro inde ab uno quóque compitó viae
Ternae [éx]oriuntur, é quibu' singulae éxitum ac
Telós habent proprium. a prímo compitó viam
Munit Epicurus déxtimam.

Quorum versuum, in quibus ipsis sunt quae displiceant (de *ac* in fine versus cf. p. 24 sq.), nullus sine aliquo molimine prodiit, cum tamen, exceptis levissimis quibusdam discrepantiis, in vulgata memoria, maxime in vocabulorum collocatione, duorum grammaticorum Nonii (p. 94, 27) et Prisciani (lib. III p. 98 Hertz.) testimonia consentiant. Cuius vis consensus non prorsus eo elevatur, quod Priscianus sumpsisse exemplum e Nonio possit, cuius horrea quomodo subinde expilarit ille, nuper memorabili exemplo M. Hertzii subtilitas illustravit Philologi XI p. 593 sqq. Ut ne illud quidem, quod Priscianus pariter ac Nonius fragmentum e Varrone περὶ αἱρέσεων citavit, per se multum illi titulorum conglutinationi obsit. Ergo cum nolint verba ultro numeros recipere, ne invitum Varronem versibus incedere cogamus, maneant pedestria. Illud addo, in his quae sunt *exitum ac* τέλος non esse simpliciter cum Oehlero tautologiam agnoscendam: nimirum cum de fine sive summo bono agat Varro, ludit ambiguitate vocis τέ-

λος, quae et terminum simpliciter et ex nsu philosophorum summum bonnm designet.

Restat de Sesqniulixe bona pars reliquiarum, quarum nullam adhuc mentionem feci. Earum has duas inter se cohaesisse probabile est:

21 *Pueri dum comesque tencnt catagelo putri montium laxa.*

22 *In Thespiadum oro derepente.*

Adscripsi Nonii corruptelas (p. 492, 5 et p. 518, 21), maximam partem a Scaligero sublatas. Qui qnod in catalectis p. 95 fr. 21 ita scribit: *Pieridum comes, quae tenes cavata putri gelu montium saxa,* approbo *cavata; gelo* autem, quod Nonius attestatur, obtineo: idem quod transposuit *putri gelu*, cnm de versibus certe non cogitarit, casum potius quam rationem agnosco. In co haereo, *tenent*, quod nemini nisi Oehlero placuit, utrum cum Scaligero in *tenes* an cum Roepero mutem in *tenet:* utrumqne, sive *Pieridum comes* nominativus sive, quod praetulerim, vocativns est (cf. Ennii ann. 163, trag. 318), licet tueri: possis etiam, imperfecta sententia, suspicari *tenens. Laxa montium* qnae Oehlerus explicat, nihili sunt: commodum *saxa,* quod Scaligcro praeivit Bentinus: nisi praestat *laxa* ea ratione retinere, nt Nonii culpa desideretnr nomen velut *antra.* Fr. 22 *oro* cum complures attemptaverint, praeclare Rothius restituit *choro*, quemadmodum idem Rothius apud Nonium p. 451, 11 *orean astrice* correxit in *chorean astricen.* Sunt autem manifesti numeri in utroqne fragmento. Ex illo Kochius in exercitationibus p. 30 violentius septenarios effinxit:

Pieridúm comes
Quaé tenent geló cavata pútria laxa móntium.

Nec absimile Roeperi conamen:

Pieridúm comes
Quaé tenet caváta putri sáxa montiúm gelo.

Idem fr. 22, quod posse ait glyconeis describi, maluit, quo cum illo congrueret, item septenariis dimetiri:

in Thespiadúm choro
Dérepente.

Mibi, ne pluribus illa molimina exagitem, ultro ex emendate scriptis verbis videtur ea glyconeorum forma prodire, quam G. Hermannus tetigit in clementis d. m. p. 565:

> – ⏑ – ⏑ *Pieridum comes*
> *Quaé tenet caváta gelo putri*
> *Móntium laxa [ántra]* ⏑ – ⏑ –

Cui iisdem numeris alterum fragmentum succedit:

> – ⏑ – *in Théspiadum choro*
> *Dérepente* – ⏑ ⏑ – ⏑ – .

De sententia prioris breviter ac vere Scaliger: 'Intelligit ut puto τὴν ἠχώ.' Sed quid echo cum Sesquiulixe? Possunt plures occasiones commemorandae echus cogitari: velut resonantem eam montis imaginem percepisse in itinere Sesquiulixem; quamquam, nisi me species fallit, oratio et forma metrica sublimius quid et minus vulgare subindicat. Quod quid sit inde videor suspicari, quod comes Pieridum vocatur Echo, et subiicitur chori Thespiadum mentio. Nempe haec e prooemio sumpta esse putabam, quod aut integrae saturae aut parti eius praepositum fuisset. Videbatur enim non indignum poëta saturico, cum ad Homerici Ulixis suum depingeret Sesquiulixem, non adire Musas, ut Homerus cecinit ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα, sed comitem Musarum Echo, ut referret, quae e choro Thespiadum percepisset. Certe sic non illepide Varro suum poëmation tamquam vocem ab Homeri carmine repercussam significaret. Nec quod eaedem Musae in eadem comprehensione modo Pierides modo Thespiades vocantur, ab huius scriptoris et scripti modo abhorret. Sed cadit in hanc coniecturam ut in alias, quas ex hoc genere protuli, nonnullas illud, quod de consimili causa Näkius dicebat, esse eas ludi similes, 'in quo spem boni eventus aequet fere damni et erroris periculum'.

Pergo ad alia: et rursus in unum locum colligo haec ab Oehlero dispersa fragmenta:

5 *Quid enim est, quod homo masculus lubentius videre debeat bella uxore?*

9 *Qui se in ganeum ac censum coniecit amicae.*

25 *Suspendit laribus marinas mollis pilas reticula ac strophia.*

Cohaerentia quaedam earum reliquiarum quasi diluculo dispicitur. Bellam uxorem cum merito amari a marito dicat, admonet eorum, qui non κουριδίης ἀλόχοιο sed meretriculae alicuius amore incensi seque suamque rem pessumdederint. Ac fr. 25 de uxore vel nova nupta dici, reticulis ac strophiis prodi videtur. Illud non definio, utrum Varro ut militiae sic ductae uxoris progrediente narratione mentionem fecerit, an quo ducat Odysseae imitatio haec sint ex ea parte deprompta, qua se reducem ex itineribus vidisse uxorem narraverit. In singulis quae monenda videantur, haec sunt. Fr. 5, in quo quod *illa uxorem* (Non. p. 248, 15) traditur, olim correctum est, Roeperus metro describit:

quid ést enim
Quód homo masculús videre débeat lubéntius
Bélla uxore.

In quibus praeter necessitatem puto transposita esse haec: *lubentius videre debeat*, quando quae hac forma

Quód homo masculús lubentiús vidère débeat

prodit caesura vicaria, ne ea quidem a septenariorum arte abhorret. Ut fortasse nihil nisi illud *quid enim est* mutari debeat, quamquam, si quando recesseris a memoria, etiam aliam viam non unam video qua metricae rationi possis satisfacere.

Fr. 9 Gulielmus dactylicum numerum agnovit: quem cum *sese* reposito redintegraret, Roeperus, quia apud Nonium p. 208, 14 praemittuntur *Varro Sesquiulixes*, in initio potius syllabam vel *is* vel *si* absorptam putavit. At *ganeum* bisyllabum, de quo dixit Roeperus, ea quidem sede versus dubitationem movet, ut aut nullus sit ille versus aut alia ei sit mensura adhibenda. *ac censum* (sic enim libri, non *accensum*, quod e Gulielmi coniectura vulgatum mirificas editorum, ne Roepero quidem excepto, explicationes procreavit) quid significet, supra verbo significavi. Impeditius est fr. 25, in quo nec *marinas pilas* nec *laribus marinis* commode intellegi posse copiosa disputatione Roeperus ostendit: ipse Meursii in exer-

citationibus criticis II 1, 11 (cf. Festus Mülleri p. 128) coniecturam *manias* probavit et pluribus firmare studuit: esse eas laneas effigies, quas una cum pilis suspendi Compitalibus solitas esse cum alii testes tum Macrobius Saturn. I 7 perhibent: cf. O. Iahnius in Pers. p. 174, eodemque genere *pilas* contineri e Festo apparet p. 239 M. coll. Paulo. De *reticulo* praeter Nonium p. 542, 11 vide Varronem de lingua latina V 130, Iuven. II 96 cum adn. Heinrichii. *Strophium* Nonius explicat p. 538, 7: cf. Beckeri Gallus III p. 141, Scaliger in catal. p. 65. Itaque illa de maniis pilisque si non improbabilia sunt, de salute alicuius eas res a femina suspensas esse apparet. Id quod quomodo huius saturae argumento accommodetur, neminem fugit. Tetigit verba propter inaequalitatem coniunctionis, quae nunc abest, *marinas mollis pilas, reticula ac strophia* M. Hauptius in observationibus criticis p. 31. Nam iam bimembris oratio est, iunctum membrum alterum, alterum solutum: *manias, pilas; reticula ac strophia.* Descripsit denique Roeperus senarios:

> *Suspéndit laribus mánias, mollís pilas,*
> *Reticula ac strophia.*

Unum etiam superest huius saturae fragmentum, quod Oehlerus, nescio quo iure, primo loco adscripsit. Certe mihi nihil de eius sede ac nexu compertum est: at sententiam videor assecutus esse.

> 1 *Hic enim omnia erat: idem sacerdos, praetor, parochos:*
> *denique idem senatus, idem populus, kaput.*

Sic enim libri Nonii p. 48, 32, nisi quod leviter in Wolfenbuttelano *praeter paracos*, in Leidensi *praetor paratos* erratum est. Sed cum *kaput* sic nudo et ἀσυνδέτως positum iure displiceret, in antiquis Nonii editionibus vulgabatur *populi caput,* quod cum alii olim tum Näkius in comm. ad Valerium Catonem p. 183 ac nuper Roeperus probarunt. Perperam ut puto, cum nec apte et proprie *senatus, populi caput* coniungi videantur nec congruam mori Romano coniunctionem *senatus et populus* perire patiar. Revocarunt quidem primitivam scripturam

Basilienses et Oehlerus, quorum tamen nemo dixit, qui accipi *caput* vocabulum vellent. Mihi haec pars fragmenti de lacuna suspecta est. Sic enim video sententiam distribui, ut in eum, qui omnia unus fuisse dicitur, primum omnes conferantur magistratus, quorum instar tria munerum genera, praetura, sacerdotium, parochi officium ita ponuntur, ut illis civiles et sacri magistratus universi comprehendantur, parochos apparitorum omnium vice fungatur. Nec enim eum solum dici parochon arbitror, qui 'rei publicae causa iter facientibus necessaria ministrat' (vid. interpretes ad Horatii sat. I 5, 46), sed quicumque magistratibus Romanis, dum officio funguntur, praesto sunt et suam operam praebent. Hanc enim explicationem, immixtam illam quidem meris ineptiis, Nonius significat l. c.: '*Paracos*' *a graeco tractum est nomen*, *quod vehicula praebeat: ochemata enim graece*, *latine vehicula appellantur: e t e s t o f f i c i i g e n u s*, *q u o d a d m i n i s t r a n t i b u s p a r e t.* In quibus iniuria olim nonnulli, quorum nomina legas apud Roeperum, pro *administrantibus* restitui *magistratibus* voluerunt, quod et probat Roeperus et eodem modo corrigi potius quam disci voluit Nonii sermonem p. 58, 33 '*accensi*' *genus militiae est administrantibus proximum.* Nempe, quod Nonio licebat, administrantes dicit officio fungentes (magistratus): *parere* autem, quo utitur, non distat ab apparere h. e. praesto esse. Deinde idem, qui omne genus munerum solus obtinuisse dicebatur, simul senatus ac populus esse dicitur, ut utrumque reipublicae Romanae elementum complexus, unus universam civitatem referre videatur. His si tetigi sensum Varronis, simul apparet nec *populi caput* posse verum esse et desiderari, quod ex altera parte *capiti* respondeat, ut sic tripertite illustretur illud: *hic omnia erat.* Quare sic demum constare concinnitatem arbitror: *hic enim omnia erat, idem sacerdos, praetor, parochos, idem senatus, idem populus*, *pes idem et caput.* Non absimilis earundem vocum oppositio in Asinaria Plauti 728 (III 3, 138) sq.:

LE. Ego cáput huic argentó fui tibi hódie reperiúndo.
LI. Ego pés fui. AR. Quin néc caput nec pés sermonum adpáret.

Iam illud quoque manifestum est, Roeperi opinationi Ventidium

Bassum illis tangi, per accumulata testimonia nihil* probabilitatis accedere. Bassum enim istum Gellius, ut subsistam in uno auctore, XV 4 narrat a sordido quaestu comparandorum mulorum et vehiculorum, quae magistratibus, qui sortiti provincias forent, praebenda publice conduxisset, deinceps summos magistratus obtinuisse, tribunatum plebi, praeturam, pontificatum, consulatum. Nam nec parochi vim cepit Roeperus nec ordinem singulorum aut membrorum concinnitatem reputavit: denique nec illa *hic enim omnia erat* intellexit. Quam quidem locutionem Schopenus in praefatione ad Näkii Valerium Catonem p. IX rectissime et apposite ad nostrum locum monet 'non fuisse in usu nisi proverbialiter de eo, qui quae sunt partes aliorum omnium, solus sustinet, vel qui omnia potest.' Exempla eius usus, non neglecto Varronis fragmento, Näkius congessit in commentario ad Valerium Catonem p. 183, quamquam ipsum, cuius causa ea attulit, Catonis exemplum nullum esse luculenta Schopeni emendatio patefecit, cui quae obiecit F. Iacobus Philologi III p. 548 sq. mirabor si cui probari audiam. Restat ut de metrica nostri fragmenti restitutione dicam. Illos enim versus esse primus Laevinus Torrentius ad Horatium l. c. persensit, qui tamen quos senarios descripsit parum probabiles esse recte indicavit Roeperus. Sed ne huius quidem versibus post ea quae supra disputavi subscribi poterit:

hic enim erat ómnia
Idém sacerdos, praétor, parochos dénique
Idém senatus, ídem [erat] populí kaput.

Immo non indigni forsitan Varrone hi septenarii trochaici habeantur:

hic enim
'Omnia erat: idém sacerdos, praétor, parochos: dénique
'Idem [erat] senátus, idem pópulus: [pes idem ét] caput.

VI

Cum Sesquiulixe ut componatur

BIMARCUS

vel inscriptionis cognatio suadet. Quibus lepide formatis nominibus adiungas non quidem Τρικαρανον Varronis, de quo non recte iudicavit Rothius de vita Varronis p. 18, sed Trimalchionem Petronii. Cuius similitudine ductus possit aliquis *Bimargum* h. e. duplicem helluonem vel ganeonem commendare. Cui inscriptioni, quae olim Laurenbergio in Antiquario et Popmae placebat, cum aliquot reliquias accommodare liceat (frr. 3. 4. 5), libri tamen non assentiuntur, qui semel tantum Non. p. 17, 17 *Vimargo* tradunt, ceteris locis omnibus *Vimarco* vel *Bimarco*, tralaticia *v* et *b* litterarum commutatione, quamquam memorabili constantia vicenis binis testimoniis *Vimarco*, senis tantum *Bimarco* exhibetur. Duplicem autem Marcum cum obtineamus, quaeritur quo Marci nomen referatur. De qua re Oehlerus ita sentiebat, Romanos a longe frequentissimo Marci praenomine per iocum Marcos appellari, ut Bimarcus vocaretur is, qui et nomine et patria esset Marcus h. e. Romanus, eademque vim nominis in Μαρκοπολι et Marcipore apparere, nimirum *Μαρκόπολιν* festive ipsam rempublicam Romanam vocari, ac Marciporem, quod ille non dixit aperte, eadem vi servum Romanum accipias. At vero haec suspitio, quae nuper patronum nacta est Mercklinum, mihi abhorrere ab ingenio Varronis et Romanorum videtur. Immo nos cum viderimus in plerisque saturis Marcum Varronem ipsum partes primarias sustinuisse, non dubitamus illarum inscriptionum rationes ab ipsius auctoris praenomine repetere: ut *Μαρκόπολιν* Varro e sensu et arbitrio suo conditam civitatem appellet, nec potuit lepidius nomen ei sa-

turae praefigere, qua περὶ ἀρχῆς suos expromere sensus constituerat. Nec Marciporem Romanum sed Varronianum servum designat, iu qua satura, si e mero titulo de argumento coniecturam facere licet (nam e reliquiis nihil mihi paullo certius dispicere contigit), servum e more antiquo, quem Varro usquequaque praedicabat, depinxit: id quod antiquo servi nomine significat, quae nomina iam abolita esse queritur de lingua latina IX 22: *Quotus quisque iam servos habet priscis nominibus?* Itaque etiam Bimarcum semet ipsum Varro appellavit, pariter atque in Sesquiulixe Ulixis persona indutum Varronem agnovimus. Nec vero debet minutius quaeri, quam vim et rationem illa duplicitas habeat: nimirum dandum est in ea re aliquid ioco ac lepori Varronis. Quamquam ut non temere sesquialterum potius quam alterum Ulixem effinxit, ita definito huius saturae argumento apparebit non sine ratione Varronem se tunc duplicem Marcum esse voluisse.

Argumentum saturae cum alii aliter definiverint, quod probabile sit nemo assecutus videtur. Ut mittam aliorum sententias, Mercerus eam et esse et inscribi debere περὶ τρόπων in Nonio suo significavit p. 530, 21. Ibi enim cum Basilienses e suis copiis ita tradant: *negativas duas negativam significantiam nobe habere*, *Varro Vimarco: 'τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse'* e. q. s., Mercerus, nescio coniecturam an codicem secutus, nam in adnotatione silet, locum sic scriptum edidit: *Negativas duas negativam significantiam nove habere. Varro Vimarco, περὶ τρόπων: 'Quae non modo ignorasse'* e. q. s. Mercerum secutus est Popma, eidemque sententiae nuper Mercklinus subscripsit: iniuria, si quid iudico, etiam si illud, quod non probabile est mihi, in codice aliquo inventum fuerit. Nam cum vix credibile sit, Nonium eius saturae, quam tricies simplici Bimarci nomine laudet, semel duplicem inscriptionem apposuisse, tum inconsiderate haec τρόπων τρόπους mutari infra apparebit. Sed licebat eis, qui περὶ τρόπων hanc inscribi saturam voluerunt, alio et meliore uti testimonio, quod fr. 14 suppeditatur: *ebrius es, Marce, Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te scio receperis*, quamquam vel ex hoc fr. non plus colligi probabiliter potest, quam quod

etiam frr. 21 et 22 indicant, disputasse Varronem hac satura *περὶ τρόπων*. Nam ne ea quidem re omnem saturae materiam contineri arbitror, ut illa conveniens sit omnino inscriptio: nec quales dicantur Varroni *τρόποι* a quoquam perspectum video. De quibus ita Oehlerus ad fr. 22: '*τρόπων τρόποι* videntur esse morum per tempora mutationes, quibus luxuriosi homines interdum se excusare solent.' Quam sententiam Mercklino probatam fateor me nescire qui ipsi isti fragmento accommodem. Vel hoc vellem Oehlerus vel qui eum sequitur Mercklinus apertius dixisset, quid heroibus cum ista morum mutatione. Nam sic *τρόπων τρόπους* et heroes iuxta posuit Varro, ut non abesse inter eos aliqua ratio possit (22): *τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse.* At vero non *τρόποι* et heroes inter se opponuntur, sed ita verba coniungi debent: *non me modo sed omnis heroas ignorasse τρόπων τρόπους.* Sed ne hac quidem structura, quam olim Popma secutus est, vel *τρόποι* illa quidem vi vel omnis sententia nancisci lucem videtur.

Immo *τρόποι* Varroni non alia vi quam rhetorica dicuntur: ut rhetoricae admonet etiam *κατάχρησις* in fr. 23: *κατάχρησις est enim vera, cum in candelabro pendet strigilis*, in quo cum *vera* vocem Oehlerus non attenderet, fefellit eum sententia, quae suo isto *verkehrte Welt* non illustratur. *Veram* enim *κατάχρησιν* cum Varro dicat, opponitur altera vulgaris, quae est rhetorica. Ergo hoc nunc ex illo fr., quod est de *τρόποις*, colligitur, arguisse quendam Varronem (nam ipse de se dicit) eum non modo translationum usum ac modos sed omnino heroas ignorasse. Heroes autem qui cum *τρόποις* copulentur, eius rei indicium videor in fr. 14 agnoscere: *Ebrius es, Marce, Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te scio receperis.* Nempe ut ab ignoratione troporum se vindicat Varro, sic quo nec heroum rationem sibi incognitam esse exemplo convincat, ideo delatus in Odysseam videtur. Enim vero hanc omnem et accusationem et defensionem suspicor ad Sesquiulixem pertinere, quae satura vel ex ea quam reparare studuimus specie apparet quam facile fastidiosiori potuerit arguendi et insimulandi materiam praebere.

Nimirum consimilem quandam rationem inter Sesquiulixem et Bimarcum saturas Varronianas intercessisse arbitror atque inter Horatii quartam et decimam primi saturarum libri. Sesquiulixem antem suum cum vindicare ab insimulatione studeat, non ita obscure iam intellegitur, cur se non ficto sed vero Marci nomine, nec ut illic sesquialterum sed duplicem significet. Nec tamen in hac defendendi materia substitisse Bimarcum credo, quando extant reliquiae, quae eum epularum luxuriam et variam vitae libidinem exagitasse fidem faciant. Ac potuit vel ab usu τρόπων rhetorico propter vocis ambiguitatem facile transitum ad mores sibi parare, quemadmodum κατάχρησιν vidimus a poëta in utramque partem adhibitam esse. Sed hoc utut est, de inscriptione ista altera vel sic mihi parum explorata res est.

Iam vero eam de Bimarci rationibus suspitionem quo viriliter illustrem ac confirmem, singulas ita percurram reliquias, ut ordinem sequar non eum, qui est apud Oehlerum, quo vix perversiorem invenire possis, sed quem probabilitas vel certa indicia aut pristinum aut proximum a pristino esse arguunt. Ergo quae illi postrema sunt, ab iis mihi initium capietur.

I (25) *Cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius?*

II (16) *Mihique divi, dum stilo nostro papiri inlevi scapos capitio novo partu poeticon*

III (26) *Vulcanum nec cum novae lagenae ollarum figura ter precantur.*

Quis Quintipor Clodius fr. I fuerit, hodie ignoratur (cf. Ritschelius in parergis I. p. XII, de logistoricis p. XI et Ribbeckius in praefatione ad comicorum reliquias): satis misellum poëtam fuisse et ex hoc loco et ex alio eiusdem Varronis cognoscitur, qui in epistula ad Fufium ita scripserat:

Quintiporis Clodiant foriae ac poemata eius gargaridians dices:
'O fortuna, o fórs fortuna, quántis commoditátibus
Húnc diem.

Sic enim coniungi debent haec Nonii testimonia: p. 117, 6 *Varro epistula ad Fufium: 'Quintiporis — fors fortuna.'* et p. 425, 18 *Varro ep. ad Fufium: 'diquaes: o fors fortuna — diem.'*

Quorum haec postrema e Terentii Phormione 841 sq. sumpta sunt: Roeperus etiam superiora metro dimetitur: quod tamen vel ipsa scriptura incertum redditur. Nam ut vulgo illa scribuntur *Q. Clodiani foria* (vel *forias) ac p.*, ita certe non a Varrone edita sunt: nec debebat hinc Clodiani nominis forma fidentius in alterum quoque fragmentum inferri. Ut futtilia esse appareat, quae sub nomine Quinctiporis Clodiani leguntur in Orellii onomastico Tulliano. Atque evanescit omnis de Clodiano cogitatio, si vera est Mommseni emendatio, quam vernacule expressit hist. Rom. III p. 585 adn. Voluit enim haec ita scribi: *Quintiporis Clodi anaforas ac poëmata eius gargaridians dices:* e. q. s. In quibus cum pulchre inventum sit *anaforas*, displicet tamen *eius* pronomen: quod fere duo fuisse enuntiati membra indicat, velut hoc modo: *Quintiporis Clodi ante foris eas ac poëmata eius gargaridians dicas.* Sed hoc utut est, in nostro fragmento *Clodi* mutari non debet. *fecerit Musa* Iunii est, libri p. 448, 15 *fecerimus.* *Edolandi* verbum extat hodie in Ennii versu, si quidem Ennii sunt, quae in Iphigenia XII (trag. 274) posui: *extemplo edolavi iussum.* In quo mirari non licet, Nonium de eo verbo maluisse e Varrone sumere Ennii exemplum quam ipsum huius versum apponere. Consimilia non rara apud Nonium (cf. p. 188, 25. 113, 30. 261, 8 et 16. 551, 8 al.), quae non satis reputavit I. A. Maehly (ann. philol. vol. LXXV p. 365), cum meas partes contra Ribbeckium sustineret. *Edolandi* verbo Varro usus est praeterea in hac lepida sententia Mysteriis fr. 7: *nascimur enim spissius, quam emorimur: vix duo homines decem mensibus edolatum unum reddunt puerum: contra una pestilentia aut hostica acies puncto temporis immanis acervos facit.* Qui quod in Bimarci fragmento Ennium laudat, putabam hoc olim ad unum edolandi verbum pertinere: quare Nonii testimonium ad illum Iphigeniae versum adscripseram. Contra dixit Ribbeckius in novo museo Rhen. X p. 287, qui e Varronis loco colligi putat, talem aliquam Ennii locutionem olim extitisse: *libellum (carmen) edolare.* Nunc ne mihi quidem probabile videtur, a Varrone ob solam edolandi vocem Ennium citari: nec tamen in Ribbeckii partes discedo. Reputanti enim mihi non sine vi dici Clodium tot comoedias sine ulla Musa fecisse,

subiit cogitatio, Nonium non integram sententiam attulisse, sed desiderari quod illis *sine ulla Musa* responderet, idque ipsum fnisse ex Ennio sumptum. Itaque sic demum videor concinnitatem sententiae reparare: *Cum Quintipor Clodius tot comoedias sine ulla fecerit Musa, ego unum libellum non edolem, ut ait Ennius, 'volentibus cum magnis dis'*? Extant ea verba in Ennii annalibus v. 207, quamquam poterant etiam alia Ennii verba, nobis non servata, sed quae similem sententiam efferrent, ibi locum habere. Citata verba quod post auctorem ponuntur, habet id sui similia in his reliquiis: sic in ΑΝΘΡΩΠΟΠΟΛΙ fr. 6: *non modo vinum dare, sed etiam, ut Plautus ait, 'murrinam, passum, defrutum'* et in ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ fr. 6 *domuis posticae, ut ait Plautus, 'penitissumae.'* Cf. Eumenidum fr. 3. Atque praesidio esse huic suspitioni potest fr. II: in quo Oehlerus *divi*, quod optime locum habet, commutavit speciosius quam verius cum *civi:* voluit enim haud dubie: *mihi civi partum poëticon*, ut saepius dicitur *ciere partum*. Immo imperfectam sententiam Nonius (p. 168, 13), ut saepius, tradidit, quam sic fere suppleas: *mihique divi, dum scapo inlevi novom partum poëticon, adspirarunt*. Quae media sunt depravate traduntur: *papiri nolevii scapos capitio novo partu poëticon*. In quibus unum Rothius pulchre restituit: *inlevi*, ut Horatius in saturis I 4, 36 *quodcumque semel chartis inleverit*. Fnit autem apud Nonium antiquitus ita scriptum: *papirinleuiiscapos*, ut duplicis *i* scriptura ab insequentis *scapos* initio repetatur. Iam dupliciter structura stare potest, aut *scapos inlevi novo partu poëtico*, et sic *poëtico* olim Iunii et aliae editiones, aut *scapo inlevi novō partū poëticon*, ut eadem sit haec quae apud Horatium structura: et hoc praestare probabilitate arbitror propter *poëticon*, quod est in libris. Restat incommodum *capitio*, e quo quod Oehlerus *capitis* effinxit, nescio quam hoc ieinnum sit iuxta *partum poëticon*. Nec mihi certior emendatio suppetit: tamen dicam, quid in mentem venerit: suspicor enim haec quae sunt in libris *scapos capitio* sic potius coniungenda esse: *scapo scapitio*, eam vero dittographiam esse simplicis non *scapitii*, quod nihil est, sed *scapuli* deminutivi, quae Varroni in deliciis esse vidimus. Itaque sic legi certe sine offensione fragmentum potest:

mihique divi, dum stilo nostro papiri inlevi scapulo novom partum poëticon, —

Dittographiae genus, quo nitor, illustrandi exemplis alibi occasio obveniet. In Nonii lemmate quod scribitur *scapum*, opinationem, modo ceterum firma sit, infringere nequit. *Scapum papiri* autem quod Varro dicit pro charta vel pagina, hoc nove dicit, papyri enim scapus qui vocetur, in vulgus notum est. Denique *partum poëticon* quod dicit de carmine, illustratur Petronii loco, quo quid ad efficiendum poëtam requireretur indicavit, Sat. 118 p. 706 Burm.: *ceterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine litterarum inundata.*

His duobus fragmentis quod III adiungo, id qua ratione faciam, patefiet cum emendatius verba scripsero. Sic enim Nonii codices p. 543, 14: *Vulcanum nec cum nove lagoene ollarum figura ter precantur. novae* recte editiones, praeter principem, in qua est *novem.* Praeterea pro *figura ter* est in Bambergensi *figurator*, in Palatino *figurantur ter.* E superioribus nemo quod sciam probabile quid excogitavit, et Oehleri commentum: *Vulcanum eccum novae l. o. figura ter p.* aut non intellego aut absonum est. Repono:

Vulcanumne, cum novae lagenae ollarum figura [finguntur], ter precantur?

Pro *Vulcanum nec cum* librorum scripsi *Vulcanumne cum* et feci sententiam interrogativam: *novae lagenae* quo suum nanciscerentur praedicatum, *finguntur* inserui, quod et rei congruens est et inter *figura ter* facile intercidere potuit. *Novas lagenas ollarum figura* non sine sale dicit, lagenas iam in ollarum amplitudinem cessisse indicans. Non alienum quod de lingua latina IX 21 queritur: *nonne inusitatis formis vasorum recentibus ex Graecia allatis oblitteratae antiquae consuetudinis sinorum et capularum species?* Vulcanum in fingendis vasis adorari Romanis solitum fuisse, mihi aliunde non compertum est. Utitur autem hoc exemplo Varro, quo quod ipse in poëmatio aliquo deum deamve advocarit, a cavillatione vindicet. Nonne Vulcanum, ait, in fingendis ollis invocare solent? quidni mihi li-

ceat in edolando libello Musam apprecari? Verbo dicam posse haec aliquo modo referri ad ea, quae de Echo in Sesqueulixe conieci. Tantum de illis fragmentis, quae prooemium et in prooemiis fieri solitam deorum invocationem tangunt.

His quae deinceps adscripsi ad alium sententiarum tenorem, qui fuit de usu troporum, deducimur.

IV (21) *Ideo fuga hostium graece vocatur τροπή: hinc spolia capta fixa in stipitibus appellantur τρόπαια.*

V (23) *Κατάχρησις est enim vera, cum in candelabro pendet strigile.*

VI (11) *Ut novum cribrum novo paxillo pendeat.*

Suam de tropis disputationem, cuius occasionem indicavi, Varro ut grammaticum decebat ab explicatione vocis inchoabat, cuius vim et originem similibus a τρέπειν deductis vocabulis illustrat. Ut perperam quidam tropaeis, quae ibi dicuntur, ad significandum argumentum saturae usi sint. Fr. 5 *strigile* scribo Nonii, non eius librariorum auctoritate: his enim, qui in testimonio Varronis *strigilis* exhibent, contra dicit Nonius, a quo haec Varronianis praemittantur p. 223, 5: *'strigilim' manifestum est esse generis feminini. neutri Varro Vimarco: κατάχρησις* e. q. s. *strigilim* autem quam *strigilem* frequentius dici Nonio auctore falso tradit Ruddimannus inst. gramm. I 78 adn. 57. *si* pro *cum*, quod in Oehleri editione legitur, error est editoris. *Κατάχρησις* qua vi accipienda esset, ante indicavi. Lepide autem veram καταχρήσεως indolem pendente in candelabro strigili illustrat, cuius usum in balneis esse nemo nescit. Sed haec quoque repellendae criminationi inservire ipsa sententia subindicat, cui adhaesisse aliquo modo fr. VI suspicor: in quo quae de cribro et paxillo novo dicuntur, ea quoque videntur exempli vicem obtinere. Nempe, ut planius dicam, quem fere eorum conexum fuisse coniiciam, negat Varro reprehensam a nescio quo in suo aliquo opusculo κατάχρησιν vero nomine dici, quando non alienum rei locum vel sensum voci tribuerit, ut qui strigilem in candelabro suspendat, immo se novae rei novam formam quaesivisse, quemadmodum curare novum cribrum ut novo paxillo pendeat assolent. Neque enim locutio quae

est *paxillo pendere* cum Oehlero 'de rebus praeter necessitatem susceptis' intellegi debet. Similiter Varro in Eumenidibus fr. 23 de philosophia Zenonis dixit, eum novam haeresim novo paxillo suspendisse: quode suo loco dicam. Fr. VI numerosi quid habet, quamquam versum non constituo.

Adscribo, ut per partes suas pedetemptim reparetur argumentum, aliud paucorum versuum consortium.

VII (13) *Naútae rémivagám movent celócem.*

VIII (12) *Út levis tippúla lymphon frigidos transit lacus.*

IX (14) *Ebrius es, Marce: Odyssian enim Homeri ruminari incipis, cum περὶ τρόπων scripturum te scio receperis.*

X (22) *Τρόπων τρόπους qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnis heroas negat nescisse.*

Fr. IX indicio est aliqua de Odyssea Homeri praecessisse: e quibus esse poterant ea quae VII et VIII adscripsi: quae Oehlerus imperite inverso ordine posuit: motae enim a nautis celocis cursus cum tippula levi confertur. Eorum exempla si in Odyssea ostendi nequeunt, poterant tamen esse in longiore narratione ad Odysseae imitationem formata. Fr. VII hendecasyllabum efficere, non fugit Meinekium. F. VIII in vetustioribus editionibus male habitum primus restituit ac numeros agnovit Scaliger in coniectaneis p. 139: *levis* | *Tippula lymfōn f. t. lacus.* Senarios descripsit: deerat enim *ut*, quod abest etiam a Leidensi: quo addito integer septenarius prodit, quem posteaquam Müllerus ad Festum l. infra c. designavit, Oehlerus maluit suam imperitiam deamare quam sano virum iudicio sequi. Sic idem bonam partem integrorum septenariorum mensura senaria dimensus est, velut qui postremi sunt in Γεροντοδιδάσκαλῳ quattuor, quibus suam mensuram Meinekius vindicavit. Aliud ex hac ipsa satura exemplum infra attingam. Tippula quid sit praeter Nonium p. 180, 10 '*Tippula*' *animal levissimum, quod aquas non nando sed gradiendo transeat* tradit Paulus breviator Festi p. 366 M. '*Tippula*' *bestiolae genus sex pedes habentis, sed tantae levitatis, ut super aquam currens non decidat. Plautus* [Persae v. 244; II 2, 62]

'*Neque tippulai levius pondust quam fides lenoniae*'. Ex eodemque Plauto Nonius l. c. *levior es quam tippula* affert fortasse ipsum illum Persae locum significans. *lymfon lacus* quod Varro dicit, ei consimile est eiusdem ΠΕΡΙ ΕΞΑΓΩΓΗΣ fr. 4 *fervidos fontium lacus sanguinis*. De fr. IX scriptura ac distributione metrica dixi p. 28. Huic interpellandi modo geminus est ille de SEXAGESSI fr. 16: *Erras (compercas), inquit, Marce, accusare nos: ruminaris antiquitates:* in quibus vix dubium est, quin Varro suos, e quibus ibi quaedam exprompserat, Antiquitatum libros designet. Illa autem fr. IX ita dici videntur, ut quaedam eum iam ante de tropis disputavisse appareat, e quibus forte per exempla translationum sensim in retractandam Odysseam delapsus est. Cum IX autem artius cohaeret X: nempe ideo se Odysseam ruminari ait, quod calumniator ille non solum se τρόπους ignorasse sed omnino heroas nescivisse arguerat, generatim dicens, quae ad unum fortasse Ulixem pertinebant. Paronomasia, quae est in τρόπων τρόπους h. e. translationum modos, non debebat deleri: quae firmatur eo, quod ne numeris quidem ea verba destituta sint:

> *Τρόπων τρόπους qui nón modo ignorásse me*
> *Clamát, sed omnino ómnis heroás negat*
> *Nescisse.*

ignorare quod scripsit Oehlerus, imprudens fecit. De duplici negatione *negat nescisse* conferre iuvat ipsum Nonium, qui, quo aut ipsius festinatio illustretur aut indicetur condicio librorum, posteaquam p. 530, 21 propter ipsas duas negativas illud exemplum apposuit, p. 532, 12 haec scribit: *Negativas duas pro negativa una accipiendas Varro monstravit de vita P. R. lib. II: 'qua abstinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod a rege munera eorum noluerit nemo accipere.'* Vide de eo usu Scaligerum in coniectaneis p. 213 et Ritschelium in novo museo Rhen. IV p. 582. E veteribus maxime appositum est Ennii exemplum trag. 174: *Lapideo sunt corde multi quos non miseret neminis.*

Verum enim vero, nisi me fallit suspitio, Varro praeter illa etiam rhythmorum in his saturis varietatem, quae ne ipsa

quidem videtur reprehensionem defugisse, vindicavit. Eo me ducunt haec fragmenta:

XI (15) *Ne me pedatus versuum tardor neprenet tarte cum pritymon certum*

XII (10) *Quod utrum sit magnum an parvum, facile an difficul.*

Quorum prius graviter corruptum ita traditur apud Nonium p. 229, 23, ut supra scripsi: in quibus unum probabiliter Popma correxit: *refrenet arte;* reliqua adhuc manum emendatricem expectant, quando nec illius nec Oehleri conatus verum assequi videntur: qui tamen ῥυθμῶν recte eruit, quocum ego iungo *certum* h. e. *certorum*, ut iam haec commode procedant: *refrenet arte rhythmon certum.* Genetivi formam *certum* non est quod multis approbem apud Varronem: sic idem in Eumenidibus fr. 40 *Gallum* pro *Gallorum*, et *eadem*, ut Lucilius, apud Nonium p. 544, 15. Cf. Scaliger in coniectaneis p. 230. *Rhythmi certi* autem qui vocentur, vel Horatii versibus illustrare licet sat. I 4, 47 *nisi quod pede certo Differt sermoni, sermo merus:* et ibid. 58 *tempora certa modosque.* Cf. Heindorfii adn. Itaque Tibullus II 1, 51: *cantavit certo rustica verba pede.* Iam quod ita scribitur *cum pritymon*, in eo latere suspicor *compari rhythmon*, unde haec nunc totius loci conformatio prodeat: *ne me pedatus versuum tardor refrenet arte compari rhythmon certum:* hoc est, *ne pedata versuum tarditate retinear nequabilitatem certorum numerorum secutus:* quam sententiam licet vel ita supplere: *varie et versibus et sermone miscere orationem placet.* Quae quidem sententia mihi magis convenire Varroni videtur quam quod emendando Oehlerus effecit. Sic enim ille suam scripturam: *nec me p. v. tardor refrenet: tarde enim perit ῥυθμῶν sertum*, illustrat: 'dicit sese, quominus carmina pangat, minime pati prohiberi ingenio suo, paullo tardiore in versibus numeris suis adstringendis: versuum enim serta non aeque mature perire quam florum.' Hancine versuum cudendorum difficultatem Varronem, quoniam de se ipse loquitur, aut vere dixisse aut simulasse? In meo vero conatu primum duplex hypallage adiectivorum non offendet, cum et versus potius quam tardor

sint pedati dicendi et quod *arte compari rhythmon* dicit voluerit artem comparum numerorum intellegi. Deinde collocatio verborum *arte compari rhythmon certum* non debet in Varrone displicere, quam quivis politior poëta vel ita variaverit: *arte certum compari rhythmon*, vel *certum arte rhythmon compari*, vel aliter. Denique res eo conficitur, quod ita scripta verba in numeros coëunt. Vide enim hos duos choliambos, quorum integer alter, alter uno pede mancus est:

Ne mé pedatus vérsuum . . tárdor
Refrénet arte cómpari rhythmón cértum.

Suadet enim ipsa ratio metrica in medio potius quam in initio bisyllabam vocem (velut *nimis*) desiderari. *Tardorem* pro tarditate, tarditudine, tarditie quis dixerit praeter Varronem neminem novi: ut eidem proprium videtur *curvor* pro curvitate, curvamine, curvatura. Vide de lingua latina V 104. VII 25 M.

Huic autem quod fr. XII adiungo, sentio quam tenui fide id faciam. Nempe putabam tale quid Varroni obiectum esse, isto modo miscere ac variare versus, nil magnum vel difficile esse. Cui ita Varro responderit: id utrum magnum sit an parvum, facile an difficile, nihil ad rem: ac proclivius esse reprehendere quam imitari. Eorum verborum numeri non fugerunt Kochium in exercitationibus p. 19, qui tamen nescio cur inserta *quidem* particula mutilum maluerit trochaicum:

Quód [quidem] utrum sit mágnum an parvum, fácile an difficúl —

quam integrum quem verba praebent senarium:

Quod utrúm sit magnum an párvum, facile an difficul.

Denique hanc omnem fastidiosae insimulationis repulsam visus est mihi Varro graviter his duobus tetrametris anapaesticis finivisse:

XIII (8) *Ipsis istis dicite 'labdae' et vivós contemnite vivi:*
Anticipate atque addíte calcar, stultós contemnite dócti.

Hoc enim aut Varro sibi ipse dicit, aut sibi ab alio dici si-

mulat: vos, qui docti estis, missos facite stultos istos et nugatorios calumniatores. In libris p. 70, 10 est *ipse fistis*, unde Scaliger in catalectis p. 208 *depsistis* coniecit, atque omne fragmentum, quod e *Margopoli* περὶ ἀρχῆς citat, hoc modo descripsit:

Depsistis, dicite labdae?
Victos contemnite vivi: an-
ticipate atque addite calcar.
Stultos contemnite docti.

Veros numeros G. Hermannus restituit in elementis d. m. p. 411, ubi *persensistis* scribit initio, quemadmodum ex Aldina vulgabatur *sensistis*. Mihi placet Oehleri emendatio: *ipsis istis* (vel *ipseis istis*). *Labdae* (sic enim recte emendari puto id quod in libris est *labdeae*) qui sint Scaliger significat l. c. At hic non propria ac primitiva vi, quae est obscena, *labdae* dicuntur, sed in contemptum vertitur vox turpis eo usu, quo *irrumator* et similia apud Catullum: quode vide Scaligerum in Catullum p. 11. 21 al. *Labdae* vocativus est, a *dicite* suspensus ut in Ovidii amorum I 7, 19: *Quis mihi non 'demens', quis non mihi 'barbare' dixit?* a quo usu tamen alienissimum esse Horatii versum carm. II 20, 6 *non ego quem vocas Dilecte Maecenas* etiam post novissimi editoris adnotationem iudico. *Victos* quod Scaliger et qui illum, ut persaepe, sequitur Laurenbergius in Antiquario s. v. labdae p. 245 scribunt pro *vivos*, video qui accipi possit, nec tamen discedo de vulgata, qua mihi apte dici videtur: dum vivitis spernite istos qui vivunt: ubi semel utrisque eundum est illuc, unde negant redire quemquam, actum est. Denique haec *anticipate atque addite calcar* hoc sensu efferuntur: citato cursu praecurrite istos ac relinquite tardos.

Tantum est fragmentorum, quae cum aliqua probabilitate ad priorem quam animo informavi saturae partem referenda duxi. Quod vero Varro in saturis etiam ad suarum saturarum, quam peculiari libello persecutus erat, compositionem deflectit, convenit praesertim huic litterarum generi nec minus quam iisdem et musicam et numerorum dicendique artem, denique

eam, quam vulgo potissimum in his opusculis tractatam opinantur, philosophiam disceptari. Accedo ad partem alteram, qua cum alia tum epularum libidines saturae more carpuntur. Itaque tamquam specimen eius luxuriae Nomentanum aliquem depinxerat.

XIV (4) *Cohortis cocorum atque hamiotarum aucupumque.*

XV (5) *Cúm novissumé putaret, quántum sumpti fécerit.*

XVI (24) *Ipsúm propere vix liberti semiátrati exsequiántur.*

Fr. XIV et XV apposite Horatii versibus illustrantur sat. II 3, 224 sqq.

Nunc age luxuriam et Nomentanum arripe mecum:
Hic simul accepit patrimoni mille talenta,
Edicit, piscator uti, pomarius, auceps,
Unguentarius ac tusci turba impia vici,
Cum scurris fartor, cum Velabro omne macellum
Mane domum veniant.

Nec absimilis, quamquam alio consilio factus, cuppedinariorum recensus, quem Terentii parasitus Gnatho edit in Eunucho v. 256 (II 2, 25) sq.

Concúrrunt laeti mi óbviam cuppédinarii ómnes:
Cetárii, lanii, coqui, fartóres, piscatóres.

Fr. XV cum in libris p. 485, 2 sit *mutaret*, Oehlerus reposito *computaret* sententiae bene consuluit, metrum pessumdedit: Meinekius, agnoscens septenarium, restituit id quod tam sensui scriptoris quam numeris conveniret: *putaret* eadem vi qua ille *computaret*. Sic Plautus in Trinummo 416 (II 4, 14) sq.

Sero átque stulte, prius quod cautum opórtuit,
Postquám comedit rém, post rationém putat.

Cf. Varro de l. l. VI 63 M. Scaliger in coniectaneis p. 86.

Fr. XVI, ut suspicor, ganeonis istius, cuius vitam ante descripsit Varro, etiam exitus significatur. *Ipsum* dominum dicit, quem liberti efferant, sive praecedebat nomen, sive cum emphasi dictum est simpliciter *ipsum:* ut apud Plautum in Casina IV 2, 10: *Quid tu hic agis? Ego eo, quo me ipsa misit.* Cf. Hein-

richius in comm. ad Iuvenalem p. 56. Ac possis tibi hanc omnem scaenam talem fere animo informare, qualem Iuvenalis descripsit I 1, 135 sqq.

Optima silvarum interea pelagique vorabit
Rex horum, vacuisque toris tantum ipse iacebit. — —
Poena tamen praesens, cum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes atque intestata senectus.

Liberti, quos exsequiari dominum Varro dicit, intellegendi sunt, qui vixdum ipsa morte illius libertatem nacti sunt (cf. O. Iahnius ad Pers. l. infra c.): itaque eos *vix libertos* (sic enim coniungo) vocat. Turnebum quidem, quem Oehlerus sequitur, cum in adversariis XXVIII 12 *protervi* coniiciat pro *propter vix* librorum, corrumpere Varronem arbitror. Sed *vix* dum explicatione tueor, *propter* labem traxisse concedo, unde quod *propere* elicui, eo apte festinatio, qua humandum dominum liberti curant, depingi videtur. Quam vocem possis, si Nonio p. 421, 6 fides sit *vix* esse *statim* in Eumenidibus fr. 43, cum hac particula coniungere, ut non raro festinandi vocabula cumulantur: cf. Plautus in Casina III 6, 17: *propere, cito introite*. Sed mihi placet illa structura *vix liberti* h. e. vixdum facti liberti. Cui favent, ut omnem sententiam illustrant, versus Persii III 98 sqq.:

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur
Gutture sulphureas lente exhalante mephites.
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti — —.
Hinc tuba, candelae: tandemque beatulus alto
Compositus lecto crassisque lutatus amomis
In portam rigidas calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.

De tetrametro anapaestico, quo illud fragmentum descripsi, dixi p. 61.

Luxuriosae vitae Varro more suo pristini temporis simplicitatem opponit:

XVII (6) *Avi et atavi nostri, cum alium ac cepe eorum verba olerent, tamen optume animati erant.*

Bellus verborum lusus, quem Oehlerus in locutione *animatum esse* persentiscit, mihi frigidiusculus videtur. Est autem sermo pedestris. Roeperus quidem versus aucupaturus operam lusit:

> ⏑ – ⏑ ⏑ *avi et átavi nostri, cum álium*
> *Ac cépe olerent vérba eorum, tamen óptume*
> *Animáti erant.*

Vitiosa elisio *avi et*, de qua dixi p. 25, poterat non vitioso hiatu evitari: ⏑ – *avi-et.* Cf. Lachmannus ad Lucretii III 941. *Alium* scripsi, ut tradunt Nonii codices p. 201, 6. Cf. Ribbeckii adn. ad Pomponii v. 6 (com. lat. rel. p. 191).

Postremo eidem de luxuria disputationi adscriberem:

XVIII (9) *Nos ergo nihil egimus, quod legem Lucaniam luci claro latam scutulans*

modo et emendatio corruptelae suppeteret mihi et de lege Lucania quicquam constaret: nam omittere eum Rothio et aliis nomen legis, quod libri tradunt p. 210, 10 (nisi quod in Leidensi est *legem Lucani claro)*, hoc est desperare. Cogitaveris de una e sumptuariis vel cibariis legibus, quas Gellius II 24 (cf. XXI 23) et Macrobius Sat. XVI 17 (II 13) p. 335 Ian. recensent: quarum tamen nulla est, quam cum aliqua fide in locum Varronis inferas. *Lucanicam* legem, quam Oehlerus suasit, ex eo ipso, quo utitur auctore, Aeliano V. H. IV 1 apparet hinc prorsus alienam esse. Pro *scutulans* quod Popma *scutulavimus* suspicatur, incredibilem explicationem sequitur. Quae cum non displiceret Oehlero, 'certius' tamen videbatur ei *sustulimus* reponere: id quod ego non solum valde incertum, sed adeo perversum et sensui Varronis, qui etiam per tenebras apparet, contrarium indico, cum non tam tollendi quam probandi, firmandi, sanciendi notionem expectemus.

Ita cum Varro luxuriae libidines depinxerit, eas sordes ait ne ab Hercule quidem purgari posse, qui stabula Augiae egesserit. Hanc enim vim ac sedem esse suspicor huius valde depravati fragmenti:

XIX (7) *Non Ercules potest, qui Augebes sed conpron.*

Cui sententiae iuvat hanc de Prometheo Liberato fr. 12 adponere: *In tenebris ac suili vivunt: nisi non forum hara, atque homines, qui nunc plerique, sues sunt existimandi.* Et haec verba Herculis, quibus apud Lucianum *Δραπέταις* 23 ne ad extirpandos philosophos mittatur Iovi respondet: καὶ μὴν ὄμεινον ἦν, ὦ πάτερ, τὴν κόπρον ἐκκαθᾶραι αὖθις τὴν Αὐγείου ἢ τούτοις συμπλέκεσθαι. Sed expectant verba Varronis emendationem. Libri p. 242, 15 tradunt, quod supra scripsi: nisi quod in Bernensibus est: *quod Augebes sed ampison.* Duo olim Iunius et post eum alii bene restituerunt: *Augiae* et *κόπρον*. Restat ut corrigatur quod medium est. Iunius coniecit *egit*, Turnebus in adversariis XXIX 20 *agebant* duce Nonio, qui illis haec praemisit '*agere*' *gerere*. Mercerus in lemmate '*agere*' *egerere* reponens, in Varronis loco *egessit* scribit. Id quod dissuadetur a Nonio: debebat saltem '*egerere*' *agere* praemitti, cui collocationi rursus litterarum ordo adversatur. Quare aut restituenda *agendi* forma (nec enim illud obstat probabilitati, quod Nonius pagina proxima peculiari capitulo agendi notiones cum suis exemplis recensuit), aut tam lemma Nonii quam verba Varronis ita corrigenda: '*Averrere*' *egerere. V. Bimarco: Non E. potest, qui Augię abersit (aberrit) κόπρον.* De verbo *averrendi* cf. Priscianus X p. 532 Hertz.: *Licinius Macer pro Tuscis:* '*quis oportuit amissa restituere, hisce etiam reliquias averrerunt.*' Ibidemque vide quid grammatici de *versi* perfecto praeceperint. Sunt autem de versu sumpta illa verba, qui talis esse potuit:

. *non Herculés potest, qui Augiae aversit κόπρον.*

Hiatus qui est inter *Augiae* et *aversit* legitimus: cf. Lachmannus in Lucretii III 374 p. 161.

Sequuntur tria fragmenta, quae, quod multi viderunt, arte cohaerent, nec tamen ante, ut apud Oehlerum, sed post illam descriptionem ac detestationem luxuriae locum habuerunt. Cum enim sordes istas vel ab Hercule aliquo emundari posse diffidit, eam urbem, quam ne ipsa quidem, si cuperet, Salus servare posset, Iovis fulmine percuti precatur:

XX (1) *Túnc repente caélitum altum tónitribus templúm tonescit.*

XXI (2) *Ét pater divûm trisulcum fúlmen igni férvido Actútum mittat in tholum macélli.*

XXII (3) *Mágna uti tremèscat Roma et mágnae mandonúm gulae.*

Hoc addubito, utrum exauditum subito tonitru (XX) occasionem ei detestationi dederit, an inverso ordine imprecationem (XX. XXI) necopinato, quasi extemplo vota rata facta sint, tonitrua secuta sint. Nam non uno eodemque tenore fr. XX cum proximis duobus continuari, enuntiati conformatio ostendit. Fr. XX trochaici octonarii mensura distinxi. Fr. XXI cum Oehlerus senarios descripsisset, Meinekius septenarium restituit: quem excipit versus ïambicus non integer, quamquam sententia integra. Nec enim quicquam inter *macelli* et qui statim sequitur septenarium desiderari arbitror. *Actutum* editorum est: libri p. 448, 21 *actum*, unus Basiliensis *acutum*. Fr. XXII *uti* reposuit Meinekius, quo septenarius constaret. Trisulcum fulgur Festus p. 352, 6 M. vocatum dicit, 'quia id aut incendit aut discutit aut terebrat.' Vide Mülleri adn. Aliter Nonius ad illud fragm. p. 448, 18 '*Sulcus*' *omne quidquid in longitudinem aculeatum est.* 'Tholum macelli' Oehlerus explicuit. *omnes mandonum gulae* Lucilius Varroni praeivit apud Nonium p. 17, 16. De quo genere vocabulorum cf. O. Iahnius in Persium p. 81.

Verum enimvero Varro non in perstringenda epularum luxuria substitit, sed etiam avaritiam Romanorumque nobilium in provinciis rapinas et alios abusus more suo depinxerat. Quae quo ordine tetigerit, dici nequit, quamquam et haec puto illam execrationem et quae de Augiae stabulis dixerat praecessisse. Avaritiae indicium hoc fragmentum continet:

XXIII (20) *Scaéna quem senèm Latina vidit derisissimum.*

Quibus Pappum personam Atellanarum probabile est significari. Is senex avarus, quod Munkius de fabulis Atellanis p. 33 exposuit, ob angorem ac nimiam sollicitudinem nummorum deri-

deri in illis fabulis solebat. Pro *dirissisimum*, quod est in libris p. 100, 29, cum Wolfenb. in margine, Bamb., edd. *dirissimum* scriberent, Oehlerus verissime *derisissimum* coniecit: nec tamen idem, quod p. 86 monui, manifestissimos numeros agnovit.

Alterum, quod dixi, genus depravationis proximis duobus fragmentis indicatur:

XXIV (18) *Socius es hostibus, sociis bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas.*

XXV (19) *In invidiam veniant in hoc ipso rapinatores.*

Illius fr. et verba (Non. p. 248, 17) restituit (fuit enim *socius bellum : tecum* pro *domum* imprudens puto Mercerus) et sententiam illustravit Mercerus: 'Verres et alios id genus provinciarum praesides increpat, quibus nefas fuit relinquere apud socios, siquid visum elegantius.' Amphibolia, quae est in *belli* voce, neminem fugit. Versuum simulacra, quae Oehlerus Gerlachium non bonum auctorem artis metricae secutus significat, nulla esse Meinekius admonuit. Ei fr. adhaesit alterum, in quo iniuria Oehlerus *invidiam inveniant* malebat. Illa locutione, quae nescio cur offensioni sit, usus est vel Suetonius in vita Tiberii c. 8: *domini in invidiam venerant. In hoc ipso* h. e. non in rapiendo, sed in eo, quod, quemadmodum Verres solebat, de rapta praeda amicos et patronos, quo eos sibi obnoxios reddant, liberalius impertiant.

Denique alius quidam abusus notatur hoc fragmento:

XXVI (17) *Non te pudet, Mani, cum domi tuae vides commilitonum tuorum cohortis servis tuis ministrare caementa?*

In quo nec nominis rationem nec omnem sententiam mihi planam esse fateor.

VII

Menippi, cynici Gadarensis, quem Varro imitatus magis quam secutus dicitur, cum alia harum saturarum vestigia satis multa admoneant, tum maxime ea, cui Varro hanc inscriptionem

ΤΑΦΗ ΜΕΝΙΠΠΟΥ

praefixit, ut per indicum Varronianorum rationes ipsum eius cynici tumulum probabile sit colloquii et disputationis quae fuit in hac satura occasionem dedisse. Itaque Varro ipse hoc suum opusculum tamquam *ἐπιτάφιον ἀγῶνα*, in Menippi haud dubie honorem celebratum, significat fr. V. Sed nec eum quomodo Varro peregerit, e reliquiis dispicitur, nec materiam quam disceptavit ipsam suis quibusdam terminis circumscribere licuit. Mercklinus quidem, quod *περὶ σπουδάρχων* vel *σπουδαρχιῶν* et esse et inscribi debere saturam coniecit, nec ullo e viginti quattuor fragmentis adiuvatur, et prorsus fallaci, quod infra probabo, indicio nisus est. Popma autem cum eam saturam de structura aedium egisse suspicetur, 'in qua lauti homines sumptu et magnificentia modum excederent', partem tantum reliquiarum complectitur, quam dici nequit quo iure primariam fuisse censeas. Certe Varronem praeter illam aedificandarum domorum licentiam etiam epularum ac vestitus ingruentem luxuriam aliosque recentioris aetatis abusus carpsisse, reliquiae persuadent: ut potius in hac satura quemadmodum in aliis variam vitae Romanae depravationem per sua genera persecutus videatur. Cf. quae de Modio dixi p. 33. Sed ipsa examinemus fragmenta. Atque initium Varro cepit a tumulo Menippi, quem his versibus designat:

I (2) *Menippus ille nóbilis quondám canis*
Hic liquit homines ómnes in terraé pila.

Menippi nomen quod proxime praecedens inscriptio *Tafe Minippu* absorpsit, Scaliger restituit in catalectis p. 188, eidemque debetur *liquit* pro *linquit*, quod est in libris Nonii p. 333, 24. Mercerus quod scripturam librorum *in terra pila* approbat, scio qua id ratione faciat, sed praestare arbitror Scaligeri *terrae pila*. Ceterum cum in libris sit *nobiles . . canis*, recte *nobilis . . canis* scribitur: Scaliger quidem perperam *nobiles . . canes*.

Ergo putandi sunt interlocutores ad Menippi sepulchrum constare: nec desunt reliquiae, quae ex hoc ipso sermone delibatae videantur, quae illud quoque indicant, alterum interlocutorum et ipsum fuisse cynicum, parum ei sectae favisse alterum.

II (4) *Saltem infernus tenetor ὁ κακὸς δαίμων, atque habeat homines sollicitos, quod eum peius formidant quam fullo ululam.*

III (1) *Sed ut canis sine coda*

IV (3) *Diogenem litteras scisse, tum usioni quod satis esset, tum quod etiam acroasi bellorum hominum.*

Nempe fr. II quod primo proxime adhaeret, de eodem dicitur Menippo, qui iam non inter homines moretur, tamquam humani generis calumniator, sed tamen ut emergens e tenebris κακὸς δαίμων homines continua sollicitudine perturbet. Talem enim fere videor sententiam agnoscere ex illis verbis, quae corrupte leguntur in exemplaribus Nonii p. 318, 12 '*Habere*' *facere. Varro Tafe Minippu* '*saltem infernus tenebro κακὸς δαίμον atque habeat homines sollicitos, quod cum peius formidant, quam fullo ulula.* In quo tria, quae levia sunt, olim correcta sunt: *δαίμων*, *eum*, *ululam*. In reliquis nec alii nec is, cuius supra scripturam expressi, Oehlerus prospere versati sunt. Desideratur in tradita scriptura verbum quod *habeat* vocabulo respondeat, id quod mihi non lenius simul aut aptius recuperari videtur quam praemisso *sit: sit saltem κακὸς δαίμων*. Quae media sunt *infernus tenebro* leviter depravata arbitror ex his

infernis tenebris: quemadmodum Horatius carm. IV 7, 25 *Infernis neque enim tenebris Diana pudicum liberat Hippolytum*, et Vergilius Aen. VII 325 *Infernisque ciet tenebris.* Ut iam emergat ea quam significavi sententia ex hac conformatione: *Sit saltem infernis tenebris κακὸς δαίμων atque habeat homines sollicitos, quod cum peius formidant quam fullo ululam.* In quibus aut eludor fallaci specie aut dactylicus numerus latet:

Sit saltem infernis tenebris —
Atque habeat homines sollicitos quod cum
Peius formidant quam fullo ululam.

Quibus si licet confidere, praesto est etiam qui primi hexametri exitum refingas. Cum enim Aristophanis Equitum v. 111 confero: ἀτὰρ τοῦ δαίμονος δέδοιχ᾽ ὅπως μὴ τεύξομαι κακοδαίμονος, non improbabile videtur Varronem pro simplici *κακὸς δαίμων* ita ut numero conveniat scripsisse *δαίμων κακοδαίμων.* Sed ne quid dissimulem, incommodo est illud, quod pentametri finis in mediam incidit sententiam: de quo videndum, utrum Varroni concedatur necne. Quid ulula ad fullonem, non exputo: Popma quidem emendando non felicior fuit quam explicando Oehlerus.

Fr. III adversario, quem significavi, cynicorum attribuo: ut canem sine cauda (vel coda, quod Varroni placuit: cf. C. L. Schneideri gramm. lat. I p. 59 sq.), sic Menippum, vel eum, quem fr. IV nominat, Diogenem sine ullo politioris vitae cultu degisse: in quo apposita ad rem canis appellatio neminem fugit. Illi vero contradici fr. IV videtur, Diogenem non ita rudem fuisse, ut quem ne bellarum quidem litterarum notitia defecerit. De Diogene autem quod et hoc et probabiliter fr. III dicitur, proclivis erat a Menippo ad auctorem sectae Diogenem, ac fortasse ad omnes cynicorum rationes transitus. Fr. IV cum in libris sit utrobique et p. 231, 5 et p. 248, 11 *dum usioni* et p. 248 *tunc quod*, nescio an Iunii Mercerique correctioni *tum — tum* praestet *cum usioni — tunc quod:* quas coniungi subinde particulas Lachmannus ad Lucretii I 130 exemplis probavit. Gerlachius quidem cum *vixdum pusioni* reponi suadeat, videat ipse quo modo reliqua conveniant quo-

que iure Nonii testimonium neglexerit, qui p. 231 propter *usus* formam femininam illo testimonio utitur.

Ad idem, unde illa sumpta videntur, exordium saturae pertinet denique hoc quod supra tetigi fragmentum:

V (5) *In carteo stadio ἐπιτάφιον ἀγῶνα ago: quo qui certassit animo bellus homo, magis delectatus sit stoicorum pancratio quam athletarum.*

Urbane chartam, qua hanc perscripturus saturam est, *stadium charteum* appellat, quo suum illum Menippo dicatum ἐπιτάφιον ἀγῶνα peragat. Et apte ad hanc rem pancratium dicit non athletarum, sed eorum, quos a cynicis tunica distantes Iuvenalis dicit XIII 122, stoicorum. Quod in exemplaribus Nonii legitur p. 248, 12 *epitafion agoa, quo quis certasset* partim Turnebus et Barthius, partim Gerlachius correxerunt. *delectatus sit* ego restitui: libri *delectatus*, pro quo Gerlachius *delectatur* reponendum coniecit.

Iam ad ipsam accedimus disputationem, quae quasi duobus terminis ita distinguitur, ut partim domi inter cenam, partim in via inter ambulandum peracta videatur. Convivium complura fragmenta referunt (VI. VII. VIII): in quo pertexi inchoatum in via narrationis filum ex hac sententia colligitur (IX) *Quod coeperas modo in via, narra ut ad exodium ducas.* Nec tamen licet nobis internoscere, utra pars reliquiarum ambulationi illi, a tumulo Menippi opinor domum factae, utra attribui convivio debeat. Immo cum deinceps, ut in sermone familiari, complures materiae disceptatae fuerint, ne ordinem quidem earum, qui olim fuerit, definias. Quare sic distribuam reliquias, ut et secreti disputationis loci et quae ad singulos pertineant probabiliter coniuncta legantur. Incipiam autem a convivio:

VI (6) *Perrexit in interioris partes domuis posticae, ut ait Plautus, penitissumae.*

VII (7) *Ubi lubet, ire licet accubitum. accedo strenuo sussilimus, quod esurigo findebat costas.*

VIII (9) *Inde putidas uvas, acinis electis et comestis, extendit in lectis quondam.*

De praebitore convivii opinor illa dicuntur: *perrexit in interioris partes domuis posticae*, nbi tam culina quam oeci et triclinia, in quibus cenitabant, sita erant. Cf. Gallus Beckeri II p. 188 sq. et p. 170. Eiusdemque domini sunt haec: *ubi lubet, ire licet accubitum.* Quae proxime sequuntur corrupta sunt: nec qui probabiliter corrigam nunc invenio: emendationem quidem non arbitror esse eam, quam Oehlerus secutus est, coniecturam: *a sede strenue.* Putabam *accepto* non valde frequenti ablativorum absolutorum genere, ut inde pendeant illa: '*ubi lubet, ire licet accubitum*' *accepto, strenue.* A limine cenae fr. VIII prope ad exitum deferimur: secundas enim mensas significari nvae indicio sunt. Non inepte Popma de cynico cogitavit, nisi quod ea non tam dominum convivii, quem voluit, qnam e convivatoribus unum referunt, qui quo eludat illum, putidas uvas, postquam acinos elegit et comedit, in lecti sponda expandit. Puto enim recte Popmam ex illis *in lectis quondam (quandam)* eruisse *in lecti spondam* vel potius *sponda.* Sic exemplaria Nonii p. 181, 18 *quodagrosi* pro *podagrosi* in Plauti versu et p. 245, 27 *Ennius quoenice* pro *poenice* vel *Phoenice.* Praeterea *expandit* corrigendum suspicor pro *extendit.* Sic Columella XII 15 *(ficus debet) in eo loco expandi, qui toto die solem accipiat.* Cf. ibid. c. 13. 14. In sponda autem lecti, non in toro vel torali, ne inquinentur, nvas disponit.

His adiungo statim, quod supra tetigi, fragmentum:

IX (15) *Quod coéperas modo in via, narra út ad exodium dúcas,*

licet, quo maxime pertineat, non dirimam. Septenarium ïambicum agnovit Kochius in exercitationibus p. 31. Ac subscribo illi primum ea, quae consentaneam maxime sermoni convivali recentem ciborum opulentiam et luxuriam tangunt:

X (12) *Romam ψαμμακόσιοι, non qui in urbe inter nundinum calumniarentur.*

XI (11) FIAΠΑΑΑΝΤΟΙCOC *edones Romam, ut turba intendant annonam; sed propter fagones ficetulam pinguem aut turdum nisi volantem non video.*

XII (13) *Nec pistorem ullum nossent nisi eum qui in pistrino pinseret farinam.*

Fr. X in libris Nonii p. 214, 31 sic scribitur *Romam ipsam marcosioe non q. in orbe i. n. e.* In quibus Mercerus et *urbe* correxit et in illis *ipsam marcosioe* latere *ψαμμακόσιοι* praeclare animadvertit. Quam vocem Macrobius Saturn. V 20, 13 'pro *multis* Varronem saepe in Menippeis suis posuisse' testatur. Sumpsit autem vocabulum ab Eupolide, qui, quod scholiasta in Aristophanis Acharn. v. 3 perhibuit, *ἐν χρυσῷ γένει* dixerat, *ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους*. Vide Meinekii comicorum graec. fragm. II p. 543 et Aristoph. l. c. Sed hoc cum Mercerus optimo Varroni restituisset, illud parum recte instituit, quod *Romani* scripsit pro *Romam*. Fefellit eum *ipsam* quod in libris scribitur pro *psam* vel *ψαμ*, in quo eundem quem compluries tetigi usum scribendi agnosco: cf. p. 29. 49. 115. 133: nec aliter explicandum, quod in 'Vetere' Plauti *ipseudole* legitur pro *pseudole* in cognomini fabula v. 13 et 45. Atque ut cuiusvis litterulae sua ratio constet, e *μακόσιοι* qui ortum sit *marcosioe* cum exemplis suis alia quae mox obveniet opportunitate expromam. Sed idem Mercerus non assecutus sententiam videtur, cum ita scribat: 'Ergo hoc ait Romanos esse infinitos praeter eos qui in ipsa urbe moram continuam degebant.' Immo quo sensus scriptoris appareat, primum ita suppleri enuntiatum debet: *Confluebant olim Romam ψαμμακόσιοι, non qui in urbe calumniarentur, sed.* Nempe Varro eum morem tangit, quo rustici, posteaquam octo diebus in agris opus fecerant, nono intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venire solebant. Sunt haec fere verba Macrobii Saturn. I 16, 34. Eandemque consuetudinem Dionysius Halicarnassensis describit A. R. VII 58 *αἱ δ' ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγένοντο, ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων, δι' ἡμέρας ἐννάτης· ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν τάς τ' ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων καὶ τὰς δίκας παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον τά τε κοινά, ὅσων ἦσαν κύριοι κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν· τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν κτλ.* Vide de utroque loco L. Ianum ad Macrobii l. c. Ergo veniebant rustici nundinis cum 'mercandi vendendique

causa' tum ut lites componerent: cf. Macrob. l. c. § 30 cum adn. Iani. Quas quidem lites Varro subindicat sua aetate fere in calumnias vertisse, quibus 'scientes prudentesque per fraudem alius alii negotia facesserent'. Itaque licet nunc paullo pleniorem comprehensionem, unde illud sumptum est fragmentum, hoc modo efferre: *Confluebant olim Romam ψαμμακόσιοι, non qui in urbe inter nundinum calumniarentur, sed vel ad mercandum vel excipienda 'scita atque consulta', vel denique ut, si quae essent lites, eas cum fide, non per fraudem et calumnias exigerent.* Quae si non improbabiliter explicui, erit qui me ea hoc loco, ubi de ciborum luxuria agi praedixi, posuisse miretur. Quod tamen me non sine ratione instituisse mox apparebit, ubi fr. XI et emendatius scripsero et cum illo coniunctius fuisse evicero. Etenim sic fere verba, ut supra scripsi, in libris Nonii p. 48, 18 habentur: nisi quod leviter corruptum *annona* exhibent. Monstrum graecum, quod initio est, domare multi conati sunt, infelici, ut mihi videtur, successu. In quo qui partem inscriptionis agnoscunt, fallaci specie utuntur: nec multum profici ad veritatem arbitror aut Rothii coniecturis *ἀτάλαντοι ὡς* vel *παντοίως edones* aut Oehleri *et ἀπαντήσουσιν edones* vel *ἢ ἀπαλῶνται ἴσως edones.* Quae quidem opinationes ut aliorum nonnullae magis similitudinem quandam litterarum sequi quam eo quod et rei et sensui scriptoris conveniat niti videntur. Ego cum infinitae multitudinis notionem requiri viderem, incidi in eam ipsam vocem, quam fr. X Mercerus restituit: *ψαμμακόσιοι.* Quae cum in libro antiquo ita exarata fuit ΙΨΑΜΑΚΟϹΙΟΙ, videor mihi viam dispicere, qua in eam, quam libri offerunt, formam abierit: ΓΙΑΠΑΛΑΝΤΟΙϹΟϹ. Nec ad eam rem, quantumvis levidense, incommodum, quod apud Macrobium l. c. pro *ψαμμακόσια* in Parisino ΨΑΜΜΑΚΟΙϹΙΑ exhibetur. Quodsi iam et scribere et supplere initium fragmenti hoc modo licebit: *Nunc confluunt ψαμμακόσιοι edones Romam*, sua sponte quae sequuntur integritati redduntur: nimirum illa ab his olim excipiebantur: *ut in urbe incendant annonam.* Haec *ut in urbe*, quae ex illis *ut turba* elicui, et omni sententia et fr. X similitudine firmantur. Adiuvat praeterea, quod in libris *intendant*, non quod post Scaligerum aliis placuit *intendat* legitur. Hoc

recte Scaliger admonuit in catalectis p. 102 non *intendere annonam* sed *incendere* linguae usu probari. Cf. Turnebus in adversariis XXII 23. Sic *annonae incendia* Manilius IV 168 et Varro ipse rerum rusticarum III 2, 16 *Sed ut ad hunc bolum pervenias, opus erit tibi aut epulum aut triumphus alicuius . . aut collegiorum cenae, quae nunc innumerabiles excandefaciebant annonam [macelli] . . . . quotus quisque enim est annus, quo non videas epulum aut triumphum aut collegia epulari, quae nunc innumerabiles incendunt (intendunt* vet. cod. G.) *annonam. sed propter luxuriam, inquit, quodammodo epulum est intra ianuas Romae.* Non effugiet lectorem, quam haec et meam adiuvent emendationem et omuem illam sententiam illustrent. Nec e re sunt illa e Ciceronis vita, quae tangit in Pis. c. 15, 34 et ad Atticum IV 1, 6 (de domo sua 6, 14), confluente propter Ciceronis reditum ex Italia infinita hominum multitudine Romae annonam supra modum incensam fuisse. Iam vero cum enuntiati forma fr. XI eum fr. X cohaesisse convincat (vel ipsa temporum diversitas: *incendant — calumniarentur* ei iuncturae favet), illud quoque apparet, non abesse fr. X ab eo quo posui loco. Atque etiam apertius ciborum luxuriam refert fr. XI pars altera de phagonibus. Quamquam haec: *sed propter phagones* cet. non puto vel ab eadem persona vel uno eodemque cum superioribus tenore elata esse. Certe nisi variatus aliquo modo sermo fuit, *sed* particula, qua commode interiecta interlocutoris verba introducantur (cf. Varro de re rust. l. s. c.), aegre expediatur. Similitudinem sententiae cum Diphili versibus Meinekius animadvertit. Sic enim poëta graecus (com. gr. fragm. IV 389) πέρδικα δ' ἢ κίχλην γε νὴ Δί' οὐκέτι ἔστιν δι' ὑμᾶς οὐδὲ πετομένην ἰδεῖν. Addo graviter depravatum Lucilii fragmentum apud Nonium p. 274, 10: *Et circumvolitant ficetulae, turdi, curatis socis*, ubi itidem *ficetulae*, non *ficedulae* libri, ut nostro loco et p. 91, 1 *querquetulae* in Varronis versibus. Denique non alienum ab hoc loco, quod Plautus in Casina I 2, 60 *turdetanos et ficedulenses* iocose a turdis et ficedulis effinxit. *Turdum*, quod Oehleri typotheta mutavit in *turdam*, recte exemplaria Nonii: et sic Varro saepius in libris de re rustica. *Turdam* feminino Persius dixit VI 24. At Varro ipse femi-

nini formam non fuisse in usu significat rerum rusticarum III 5, 6 *turdi, qui cum sunt nomine mares, revera feminae quoque sunt*, et de lingua latina IX 55 et 56. Eo magis mirum, quod Nonius p. 229, 16 tradit: *'Turdi' masculini sunt generis, ut plerumque lectum est. feminini Varro Quinquatribus: 'tu phedi conta (contra) caudes audes dicere, cum in eborato lecto ac purpureo peristromate cubare videas aegrotum et eius prius alvum quam typen subducere malis.* Et augetur difficultas eo, quod in illo testimonio Varronis ne legitur quidem hodie aut turdi aut turdae nomen. Quod quibus machinis inferre critici studuerint, earum nulla stringit animum probabilitate. Nam *typen* vocem certo illam quidem depravatam aegre mihi persuadeo e *turdam* (vel *turdum)* ortam esse. Nec quod Oehlerus hac coniectura *tu Phedi contra turdas audes dicere* sibi visus est 'sanavisse' locum, ego illud iudicium facile sequar, cum ne Phedius quidem iste mihi valde commendetur. Immo in illis *tupledicontae* satis certa graecae vocis vestigia agnoscere videor. Quodsi tamen Noniani illius testimonii aliqua fides est, Varronem credibile est *turdam* feminine dixisse eo acumine, quo Persius l. c. dixit *nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.* Quod acumen O. Iahnius attingit ad Persium. Fieri tamen potest, ut Nonius non tam *turdae* quam vel *turdelae* vel *turdelieis* exemplum Varronianum apposuerit. Vide de illa voce Isidorum in originibus XII 7, 71, de hac Varronem de lingua latina VI 2 cum adn. Mülleri. Ceterum admonitus ipse ab Ed. Lübberto admonebo alios, numeros in eo fragmento videri esse, quos restituat, cui totum enuntiatum probabiliter emendare contigerit.

Luxuriae autem ciborum more suo Varro pristinam frugalitatem opposuit. Hoc fr. XII arguitur: in quo quod de pistore antiqui nominis traditur, Varro etiam de vita P. R. lib. I eodem loco Nonii p. 152, 14 protulit: *nec pistoris nomen erat nisi eius qui ruri far pinsebat, nominati ab eo quod pinsunt.* Add. Plinius n. h. XVIII § 107. Cf. Ritschelius Parergon I p. 371. 207. Beckeri Gallus II 196. *Pristino* scriptura, quam in nostro fragmento libri offerunt, usus est Ritschelius novi musei Rhen. VII p. 555.

Tantum de hac parte colloquii: altera, quam significavi, cultum vestitus attingebat, quem Varro etiam in Modio perstrinxit: vide p. 33. Ex eo genere in hac satura unum fragmentum snperest, et illud quidem, nisi me fallit suspitio, foede interpolatum:

XIII (10) *Nihil magis decere mulierem quam de muliebri ricinio* [*pallium simplex.*]

Nonius p. 542, 3 ita scribit: '*Ricinium*', *quod nunc mafurtium dicitur, palleolum femineum breve. Varro Tafe Menippu:* '*nihilo magis dicere muliebre, quam de muliebri ricinio palleum simplex.*' *Idem de vita P. R. lib. I* '*et quo mulieres in adversis rebus ac luctibus, cum omnem vestitum delicatiorem ac luxoriosum postea institutum ponunt, ricinia sumunt.*' In eis *palliolum*, *nihil*, *decere mulierem*, *pallium (palliolum)* olim correcta sunt. Ceterum acquieverunt in tradita scriptura cum alii tum Oehlerus, qni ne verbo quidem intellectui aliorum providit. Attamen cum Nonius affirmet, ricinium esse palliolum h. e. operimentnm capitis muliebre (cf. Heinrichii comm. in Iuvenalem p. 136), mirabiliter accidit, quod Varronis verba discrimen aliquod palliolum inter et ricinium indicare videntur. Praeterea nescio qui sibi animo informaverint hanc speciem vestitus: *de muliebri ricinio palliolum simplex*. Quid multa? Haec *quam pallium simplex* reddo ei cui debentur, interpolatori, qui Nonii lemma secutus *ricinium* explicuit. Quibns cnm *id ē (id est)* praemissum fuerit, inde incommoda *de* syllaba orta est: nisi quis malit eas litteras supra *dicere* a correctore scriptas fuisse. Sed hoc utut est, ad Varronem haec tantnmmodo pertinent: *nihilo magis dicere muliebre muliebri ricinio*. Quibus ubi leves quasdam labeculas absterseris, et sententia emergit, et quo non mediocriter meam adiuvari coniecturam arbitror, probus versiculus:

Nihil magis decére mulierém muliebri ricinio

sive *Nil magis* trochaico septenario.

Devenimus ad colloquii locum tertium, cuius maior pars reliquiarum extat: quem de aedificiorum structura esse signi-

ficavi. Nec defuit profecto Varroni, pristinorum temporum laudatori, materia et occasio immodicam aedificandi magnificentiam et opulentiam perstringendi, quae extremis rei publicae Romanae temporibus in consuetudinem venerat. Cf. Mommsenus hist. Rom. III p. 504. 606.

XIV (23) *Ut hirundines in culinis obliti luto tegulas fingebant.*

XV (22) *At in segetibus post messem colligebant stramenta, qui domicilia colerent.*

XVI (14) *Περιεχονταριαν mihi facies maeandrata et vermiculata atque etiam adeo pinges orbem terrae.*

XVII (16) *Λιθόστρωτα pavimenta et parietes incrustatos.*

Admonet frr. XIV et XV Varro priscae consuetudinis qua solebant 'hirundinum nidos et aedificationes earum imitantes de luto et virgulis facere loca, quae subirent'. Sunt Vitruvii verba, quibus initia aedificandi describit II 1, 2: e cuius disputatione licet speciem huius omnis narrationis Varronianae animo informare. Cf. quae ibid. § 3 de parietibus dicit: *primumque furcis erectis et virgulis interpositis luto parietes texerunt. alii luteas glebas arefacientes struebant parietes, materia eos integumentantes, vitandoque imbres et aestus tegebant harundinibus et fronde*, et § 5 *in Capitolio commonefacere potest et significare mores vetustatis Romuli casa et in arce sacrorum stramentis tecta.* Fr. XIV *hirundines in culinis* praeclare restituit Rothius: in exemplaribus Nonii p. 309, 15 *hirundine singulinis* scribitur, quod quomodo alii attemptarint, non attinet enarrare. *Culinas* accipio vi vulgari: nec desidero quaesitam Oehleri explicationem: 'Suntne hae culinae pauperum illa sepulcra, de quibus Aggenus Commentar. in Frontin. de Limit. Agrar. p. 60 ed. Goes: *sunt in suburbanis loca publica inopum destinata funeribus, quae loca culinas appellant?*' De quibus afferri poterat glossa e Paulo breviatore Festi p. 65 M: *culina vocatur locus, in quo epulae in funere comburuntur.* Cf. Scaliger in catalectis p. 228. Fr. XV obtineo *qui*, pro *quibus* vel *quis*, ad *stramenta* relatum. In libris p. 251, 30 non variatur, nisi quod *quis* ms. Fabri, *quo* Bernensis exhibet.

Atque haec duo fragmenta facile transire licebat: longe impeditius proximum, cuius hanc speciem Nonius perhibuit p. 140, 3 '*Maeander' est picturae genus adsimili* (immo *ab simili*) *opere labyrinthorum ortum, claviculis inligatum. Varro Tafe Menippu* '*περιεχονταριαν*' *mihi facies maeandrata et vinculata, atque etiam adeo inges orbem terrae.*' Ascribam conatus superiorum, quibus praesertim monstrosam illam graecam formam ad aliquam veri speciem redigere temptarunt. In qua plerique partem inscriptionis delitescere putarunt: id quod Mercerus, cum intactam corruptelam repeteret, distinctione verborum indicavit. Scaliger ad Festum suum s. v. *Maeander* (p. 136 M.) ita: *V. ταφῇ Μενίππου ἢ περιέχοντας ταριχείας: Mihi facies maeandrata et vermiculata, atque adeo oingens orbem terrae.* Nimirum e sordibus Nonii quaesivit, quod aliquo modo cum *ταφῇ* coniungi posset: ac videtur, cum *ταριχείαν* h. e. pollincturam cadaverum inferret, de Varronis Cycno Περι Ταφης cogitasse, in qua satura hoc est fr. 2: *Quare Heraclides Ponticos plus sapit, qui praecepit ut comburerent, quam Democritus, qui ut in melle servarent.* Sed nec ipsam formam quam voluerit indicis perspicio et *ταριχείας* rationes alienas ab hac satura fuisse arbitror. In reliquis recte Scaliger pro *vinculata* librorum *vermiculata* scribit, ut in editionibus Mercero superioribus legebatur: id quod aptissime suum locum iuxta *maeandrata* obtinere manifestum est. Vide Lucilii versum apud Ciceronem in oratore c. 44, 149

Quam lepide λέξεις compostae, ut tesserulae omnes
Arte pavimenti atque emblemate vermiculato.

Cf. O. Iahnii adn. ad h. l. *cingens* e margine Iunii sumptum est; editiones Mercero antiquiores fere *ingens:* quorum neutro codicum labes *inges* tollitur. *etiam* ante *adeo* utrum consulto an imprudens Scaliger omiserit, nescio. Scaligerum fere sequitur Popma: nisi quod graeca sic conformata *περὶ ἔχοντος ταριχείας* fragmento, non inscriptioni attribuit: quae cum 'libris antiquis' adscribit, nescio quo id iure faciat. Nec tamen ipse intemptatum locum dimisit: coniecit enim *περὶ ἔχοντος τὰ τειχία μύχου*: in quibus elegantem periphrasim tectorii conclavis agnoscit, 'cuius facies est implexa et distincta parvis insititiis

tessulis, tum pictura orbis terrae exornata: sic enim legendum *radio pingens.*' Parum prospere illi emendandi opera cessit, quamquam Oehlerum non valde decuit ea commenta insolentius deridere. Is enim cum haec in textu confidentius expressisset: *Περιχονδρικῷ mihi facies maeandrata atque vermiculata, atque etiam adeo pinges orbem terrae*, hanc illis adnotationem subiecit: 'Corrigendum erat *περιχονδρικῷ mihi facies. Χονδριᾶν* est polentae vel alicae globulorum instar esse, et festive usurpatur de facie variolarum cicatricibus insigni aut rugis persulcata, planeque similiter eiusmodi facies solemus facete dicere: *Erbsengesichter* vel *Graupengesichter.*' Ceterum *pinges* e verissima Rothii emendatione ascivit: *atque verm.* neglegentius scribit pro *et verm.* Denique, quo statim placaret, si cuius animus nonnihil de sensu verborum sollicitus esset, subiecit: 'sententia fragmenti plana est.' At haec, quae ne sana quidem et sani hominis esse intellegebam, nescio quam mihi bardus et insipidus visus sim, cum adeo laudari vel ea tantum ratione refelli viderem, quod nondum inventum esset verbi *περιχονδριᾶν* exemplum: quod quidem, si unicum obstaret illis, concederem Varroni, ut cum *χονδριᾶν* haberetur, *περιχονδριᾶν* suo periculo effingeret. Usus est eo argumento Mercklinus, qui, cum vel sine ea voce plana esse verba arbitraretur, propter praefixam *περι* voculam, quemadmodum olim Scaliger et Mercerus, inscriptionem alteram sectatus, reposuit id, quod nec litteris ullo modo convenit nec quicquam praesidii e fragmentis nanciscitur, *περὶ σπουδαρχιῶν.* Ergo missis istis denuo proficiscamur a libris: in quorum memoria verissime, uti dixi, Rothius *pinges* reposuit pro *inges.* Unde ilico consectarium fit, *facies* non esse nomen, sed verbi formam quae illi respondeat: quod non puto Scaligerum fugisse, sed fugit cum Popmam tum memorabili alucinatione, cum *pinges* probasset, Oehlerum et quibus ille imposuit. Quare *maeandrata et vermiculata* sunt accusativi neutrius: quae cui nomini adhaeserunt, id ipsum delitescere in graecis istis *περιεχονταριαν* confido: unde primum sua sponte emergit *περιέχοντα*, qua voce circuitus significatur, quo illa nescio quae *maeandrata et vermiculata* institui debebant. Ac maeandrata et vermiculata cum plura dici possint,

velut pavimenta, emblemata, alia, nihil tamen convenientius invenio quam de quibus a perdocto amico admoneor, *lacunaria:* eorundemque pridem Scaliger admonuerat, cum l. c. scribebat: 'Etiam picturae in lacunaribus μαίανδροι dicuntur: inde maeandratum', ut mirere Scaligerum hac opportunitate destituisse sollertiam emendandi. Itaque si haec olim, ut puto, a Varrone scripta fuerunt: περιέχοντα [*lacuna*]*ria mihi facies maeandrata et vermiculata*, ne origo quidem corruptelae περιεχονταριαν peritum effugiet. Attamen ne sic quidem prorsus eo fragmento defuncti sumus. In altera enim sententiae parte cum duplex particula *etiam adeo* displiceat, quarum alterutra (sive *atque etiam* sive *atque adeo*) sufficiebat, tum gradatio ista a concinnitate abhorret, qua potius περιέχοντα voci quod respondeat, requiritur: idque ipsum ex *etiamadeo* totidem litteris prodit: *et in medio*. Quo recuperato iam deleri *atque* oportet, quod ex vicinae vocis *vermiculata* exitu ortum esse probabile est. Itaque sic demum videntur verba Varronis emendari: περιέχοντα [*lacuna*]*ria mihi facies maeandrata et vermiculata, et in medio pinges orbem terrae.* Atque huic de laquearibus artificiosis sententiae fortasse eiusdem comprehensionis ambitu fr. XVII adhaesit: λιθόστρωτα *pavimenta et parietes incrustatos* sc. mihi facies, ut supra. λιθόστρωτα Iunius correxit: libri p. 129, 3 μεθοστροστα. De quo genere pavimentorum vide Beckeri Gallum II p. 206 et p. 208. *Incrustatos* Laurenbergius in Antiquario s. v.; libri *crustatus*, unde Iunius *crustatos:* sed in lemmate Nonii est *incrustatum* et sic saepius Varro rerum rusticarum III 14, 5. 15, 1. De incrustatis parietibus vide eundem Beckerum l. c. p. 211. 271, cf. 213.

Haec autem duo fragmenta apparet nunc quo iure coniunctim adnexuerim illis, quibus prisca aedificandi simplicitas depingitur. Pridem, Varro ait, abolita illa modestia, nunc vulgo architecto talia imperantur: maeandrata lacunaria mihi facies et λιθόστρωτα pavimenta et reliqua deinceps. De eo vero pavimentorum genere etiam continuatam fuisse disputationem hae, quas proximas posui, reliquiae arguunt:

XVIII (19) *Sed quae necessitas te iubet aquam effundere*

domi tuae? si vasa habes pertusa, plumbum non habes? ad quam rem nobis est confluvium? ad quam rem urnarium?

XIX (17) *In pavimento non audes facere laconam, at in humu calceos facis elixos.*

XX (18) *Antiqui nostri in domibus latericiis paululum modo lapidibus suffundatis, ut umorem ecfugerent, habitabant.*

XXI (21) *Non vides in magnis peristylis, qui cryptas domi non habent, sabulum iacere a pariete aut e gistis, ubi ambulare possint?*

XXII (20) *Non vides in publica nocte tabernas, qua populus ambulando proinde ut in arato porcas reddit?*

Ordinavi illa duce Scaligero in coniectaneis p. 54 sq., quem Oehlerus more suo sprevit. Tria priora antiqui temporis laudatori attribuo, qui novicias artificiosorum pavimentorum delicias contemnit. Nempe vindicarat ille nescio quis magnificentioris structurae amator marmore stratorum pavimentorum usum humoris effugiendi ratione. Cui hic fr. XVIII reiicit, nullam esse necessitatem in humum effundendi aquam: ei usui confluvium inservire et urnarium. Quae cum maxime culinae admoneant, tamen illa ita dici videntur, ut propter humorem omnino nullam esse lithostrotorum pavimentorum necessitatem affirmetur. Id quod magis etiam fr. XIX apparet, in quo cum urbanam ironiam non adverterent enarratores, non assecuti sunt sententiam. Nimirum hoc dicit antiqui moris vindex: quodsi tua illa pavimenta humoris effugiendi causa instituis, debes lacunam in pavimento facere, in quam defluat aqua effusa: id vero non ducis usui esse, cum tamen in humu, si absit pavimentum, vereare ne calceos facias elixos. Quam a vobis, pergit fr. XX, diversi antiqui nostri, qui absque artificiosis pavimentis in domibus suis latericiis paululum modo, quo umorem ecfugerent, lapidibus suffundatis habitabant. Ita videntur mihi apte illae reliquiae sese excipere. Fr. XVIII quod legitur *iubet* et *non habes* Scaliger correxit: in libris Nonii p. 544, 17 *iuvet* et *non habet* exhibetur. Plumbum quod ad resarcienda vasa pertusa adhiberi dicitur, Iuvenalis versibus illustratur XIV 308

dolia nudi
Non ardent cynici: si fregeris altera fiet
Cras domus, aut eadem plumbo commissa manebit.

Cf. Heinrichii comm. ad h. l. *Confluvium*, quod *coquinae fusorium* dicit Palladius de re rustica I 37, tangit Beckerus l. c. p. 195. *Urnarium* Varro ipse explicat de lingua latina V 126 M. *Praeterea erat tertium genus mensae et quadratae vasorum, vocatum urnarium, quod urnas cum aqua positas ibi potissimum habebant in culina.* Sic cum plana sint verba, dicam de numeris, quos quidem mihi in eo fragmento percipere visus sim. Vide enim hos octonarios ïambicos:

. . *sed quae necéssitas te iúbet aquam effúndere* .
Domí tuae? si vása habes pertúsa, plumbum nón habes?
Ad quám rem nobis ést confluvium? ad quám rem [*quaeso*] *urnárium?*

quaeso inserui versu tertio, quo metrum constaret. In primo qui est hiatus *aquám effundere* videtur tolerari posse in voce ïambica: cf. Lachmannus ad Lucretii III 941 (cf. II 991 p. 130 sq.) Mirum sane in hac disputatione, in qua reliqua omnia pedestri sermone peragi videntur, hoc unicum exemplum metricum: sed tamen non speruendum, ut putó, ac potius elicienda e reliquiis quam imperiosius regenda Varronis consuetudo. Fr. XIX p. 48, 25 Nonii libri *laconam*, p. 488, 8 *lacunam*. Item illo loco *humu* recte libri: hoc cum *humo* in Varronis exemplo librarius exararit, refutatur ab ipso Nonio, qui ei hoc lemma '*humu*' *pro humo* praefixit. Fr. XX quod ante *antiqui* vulgabatur *ut* cum Scaligero et aliis delevi: videtur a fine indicis *menippu* ortum esse. Coniungo autem *in domibus latericiis*, non ut Oehlero placuit, *latericiis* — *lapidibus*. De domibus latericiis vide Vitruvium II 17 sq.

Frr. XXI et XXII forma enuntiatorum contineri apertum est: quorum illud eidem noviciarum aedificandi deliciarum contemptori attribuo: pavimenta ait marmorea (nam hic quoque de pavimentis sermo est) ne commoda quidem esse ambulationi: exemplo esse magna peristylia, in quorum porticibus, quo ambulare possint, sabulum iacere consueverint. Cui re-

sponderi puto altero fragmento, abesse illud longius ab elegantia, quando sabulo stratae viae per ambulationem mox fundi recens arati speciem referant. Peristylia sive peristyla (in libris Nonii p. 169, 10 *peristilis* legitur, non *peristyliis*, cf. Varro de lingua latina VIII 29) quae vocentur, notum est: pertinebant autem maxime ad domos magnificas: quod Vitruvius indicat VI 5 *Nobilibus vero, qui honores magistratusque gerendo praestare debent officia civibus, facienda sunt vestibula regalia, alta atria et peristylia amplissima.* In eis vero aedibus cryptarum nullus usus fuit, quod ibidem Vitruvius dicit: *Quae autem fructibus rusticis serviunt, in eorum vestibulis stabula, tabernae, in aedibus cryptae, horrea, apothecae ceteraque quae ad fructus servandos magis quam ad elegantiae decorem possunt esse, ita sunt facienda.* Itaque Varro quod adiicit *qui cryptas domi non habent*, non rusticarum sed nobilium et lautiorum aedium possessores designat, quorum maxime exemplum elegantiarum istarum amator sequi debebat. Atquo hos in suis peristylis ait non pavimentatas porticus habere, sed ambulationis causa sabulum iacere *a pariete* h. e. ea parte quae media est inter parietes et columnas. Quae cum non obscura sint, difficultatem addunt proxima *aut egistis:* sic enim libri, unde ante Mercerum *aut cryptis* legebatur, Scaliger *aut e xystis* restituit. Sed nec hoc nec illud nec Forcellini *ut in cryptis* qui explicem habeo. Cryptae ab hoc loco prorsus alienae: *e xystis* autem iaci sabulum, inepto dicitur. Intellegi possit hoc *ut in xystis*, ut iacto sabulo porticus aeque ac xysti reddantur ambulacra, nisi quod illae tectae sint, hi hypaethrae, quas Vitruvius appellat VI 7, ambulationes.

Fr. XXII plana est sententia, quam significavi, verba nondum emendate scribuntur. Exemplaria Nonii p. 152, 19 ita habent: *n. v. in publica nocte te tabernas:* unde quod Scaliger effinxit *in publica nostra taberna*, nec memoria librorum nec ipsa commendatur sententia. Gerlachii coniecturam *in publico nocte tabernas* Oehlerus expressit, qui subiicit: 'tabernae, de quibus Varro loquitur, videntur lupanaria esse.'. Sed neque rationem video cur a vulgatissima tabernarum significatione recedamus, nec si tamen lupanaria Varro dixit, qui sibi vel

Gerlachius vel Oehlerus reliqua expediverint, dispicio. Immo dum scripturam Nonii reputo et probabilitatem sententiae sequor, haec scripsisse Varronem mihi persuadeo: *Non vides in publico ante tabernas, qua populus proinde ut in arato porcas reddit?* In quibus cum illa sic in antiquo codice exarata fuerint *in publicānte*, apertum qui inde ortum sit illud quod libri tenent *in publica nocte.* Vult autem ante tabernas quod lapide stratae viae non sint, populi ambulatione paullatim quasi porcas in agro extare. *In publico ante tabernas* dicit, quemadmodum in ea satura, cui Oehlerus hunc ficticium titulnm inscripsit Σεραπαρηκτη: *in foro ante lanienas.* Nec anacoluthi genus, quod inest in illis verbis, alienum est a Varrone: cf. Flaxtabularum fr. 1: *Non vides in vineis quod tria pala habeant tripales dici?* Neque alienum quod scribit de lingua latina VII 1 *Non reprehendendum igitur in illis, qui in scrutando verbo litteras adiiciunt aut demunt.* Cf. O. Mülleri praef. p. xxxv. De tabernis vide Beckeri Gallum II p. 197: de eis quae in foro erant nuper disputavit Urlichsius in novo museo Rhen. XII p. 215 sqq. *in arato* quod Oehlerus Propertii versu I 6, 32 illustrat, non attendit discrimen inter poëtae et Varronis dictionem. *Porca* quae vocetur, idem Varro dicit de lingua latina V 39: *Ager arvus et arationes ab arando: ab eo quod aratri vomer sustulit, sulcus: quo ea terra iacta, id ex proiecta p o r c a.* Cf. Lachmannus novi musei Rhen. II p. 362. A quibus distat eiusdem Varronis explicatio de re rustica I 29, 3 *quod est inter duos sulcos, elata terra, dicitur p o r c a, quod ea seges frumentum porricit.* Cf. Nonius p. 61, 19: ubi cum porcas explicat, nostri loci non meminit, quem sub eadem voce p. 152, 19 ascripsit. *proinde* quod est in Leidensi pro *perinde* sperni non debuit.

Restant duo de hac satura fragmenta, quorum alterum

XXIII (24) *Aliquot Romae sunt, qui cellas vinarias fructuis causa fecerunt*,

nescio utrum ad structurae aedium rationes an ad eum locum disputationis referam, qui fuit de ciborum ac conviviorum luxurie. *Fructuis causa* quod dicit, opponitur *delectationis causa*, ut supra p. 55 in Meleagris fr. II: cf. Varro de re rustica III

4, 2. 6, 1. 7, 2. De cella vinaria vid. Vitruvius I 4, 2 al. Varro rerum rusticarum I 11, 2. 13, 1. 6. 7 al.

Nec certius mihi constat de sede alterius:

XXIV (8) *Haec Numa Pompilius fieri si viderit, sciet suorum institutorum nec volam nec vestigium apparere.*

Haec enim qno maxime referatur, cum plura excogitari possint, non dirimo.

Bis in hac satnra in restituendis graecis vocibus elaboravimus. Licebit hoc loco illis tertium ex alia satura petitum exemplnm adiicere, cuius mihi visa est integritas a resuscitando graeco vocabulo pendere. Fragmentum primum eius saturae, cni inscribitur Mutuum Muli Scabunt Περι Χωριςμου Nonii exemplaria p. 115, 20 ita perscribunt: '*Glaratores' sunt colobathatrari; gralare enim sunt fustes, qui mittuntur. Varro Mutum muli scalvunt, graece περὶ ἀτωϱισμουτ glaratores qui gradiuntur, perticae sunt ligna efynareino let ab homine eo, qui inistat, angitantur, sic.ilianimi nostri sunt galeae, crura ac pedes nostri, essiarexεἰνητοι, sed ab animo moventur.* Quaedam correcta olim in antiqnis editionibus: sic *grallatores* et in lemmate et in loco Varronis: item ntrobique *grallae:* porro *quis innituntur* et *quis gradiuntur:* denique indicem Varronis restituerunt, ut snpra scripsi. Reliqua singulatim expendenda snnt. Sententia totius loci etiam per tenebras dispicitur: crura ac pedes nostri conferuntur cum grallis, quorum utraqne per se carent motn: sed ut grallae ab homine qui instat moventur, ita crura ac pedes, quae tamquam animi snnt grallae, ab animo moventur. Itaque recte Rothius initinm fragmenti sic constitnit: *ut grallatores quis gradiuntur perticae*, qnibns respondent: *sic animi nostri grallae.* De perticis autem quae praedicantur graviter depravata sunt. Libri, ut supra scripsi, *sunt ligna efynareino let ab homine*, nisi qnod Wolfenbuttelanus *ligne finareino, ligneae finaremo* ms. Innii, quae eodem redeunt. Unde quae Muretus eruit *sunt ligneae sine animo, sed ab homine*, in eis *sed* probe restitutum est: reliqna nec mntatione nec sententia probantur, neque feliciora sunt vel Palmerii *sunt ligneae in arena et ab h.* vel Oehleri fere Muretum sequentis *sunt ligna et*

sine animo sed ab h. conamina. Denique Scaliger in coniectaneis p. 141 indulgentior ingenio probabilis criticae limites transiluit. Propius ad veritatem Rothius accessit, graecum aliquod vocabulum ibi latere suspicatus, nisi quod non tam εὐκίνητα, de quo cogitat, quam ἀκίνητα sententia poscitur: Vidit hoc M. Hertzius *(Berl. Jahrb.* 1845 I p. 261), qui *sunt ligna* φύσιν ἀκίνητα coniecit, sensum si spectas rectissime, per traditas litteras non prorsus probabiliter. Videor mihi evincere posse in illis *arcino let* nihil latere nisi ἀκίνητοι. Ac primum *rci* qui factum sit ex κι, non obscurum ei qui graeci κ formam respiciat: eadem via infra ex ἀκίνητοι ortum *arcκείνητοι*, nisi quod ibi correctio ut fit cum corruptela coaluit: nec alia ratio agnoscenda in ea forma quam supra tetigi *ipsam marcosioe* pro ψαμμακόσιοι. Ergo recuperato ex *arcino* graeca forma ἀκινο, videndum de proximo *let* quod ex hac specie repeto:

tet
arcino h. e. ἀκινητο: ne hoc quidem sine apposito ex his ipsis reliquiis exemplo. Etenim ΛΟΓΟΜΑΧΙΑΣ fr. unicum, cum recte sic scribatur *haec lanigeras* e. q. s. (cf. p. 61)* memorabilis scriptura est in Leidensi Nonii p. 182, 16 *hielec*, unde cum corrector *hillaec* fecisset, in Aldinam venit *illaec*. Attamen cum leviter aberrans librarius pro *haec* scripsisset *hic*, correxit superposito *l'ec*. Praesto sunt alia eiusdem generis exempla, quae nunc non persequor. Reparata parte posteriore monstri illius *efynareino let*, ne prior quidem domitioni obstinatius resistet: in qua mere graecis litteris quae latine exarata sunt scribenti id quod verum est apparet: ἔφυν ἀκίνητοι: eadem vi qua Hertzii illud φύσιν ἀκίνητα. De forma ac notione verbi ἔφυν nota res est. Quae si non improbabiliter disputavi, ilico interpolamentum arguitur illud *sunt ligna* ad *perticae* adscriptum: fortasse ab eodem, qui in ipsum titulum intulit ineptum *graece*. Itaque nunc hac forma prius enuntiati membrum prodit: *Ut grallatores quis gradiuntur perticae* [*sunt ligna*] ἔφυν ἀκίνητοι, *set ab homine eo qui instat agitantur. set*, quod necessitas sententiae requirit, extrivit haud dubie *let* syllaba, de qua dixi. *inistat* autem quod in codicibus scribitur, in eo non latet *in iis stat*, quod post Muretum et alios Oehlerus ex-

pressit, sed simpliciter *instat*, ut olim Palmerius reposuerat. Etenim is scribendi usus, quo *s* impuro vocalis praemittitur, ne a mediis quidem vocabulis alienus fuit: sic *reistam* pro *restant* apud Nonium p. 272, 13 et in indice Caecilianae comoediae compluries *oboloistate* pro *obolostate*. Alteram sententiae partem Oehlerus partim Mureti partim suam secutus coniecturam ita expressit: *sic illae animi nostri sunt grallae, crura ac pedes nostri, ex se ἀκίνητοι, sed ab animo moventur*. In quibus unum est, quod me male habet: cum enim sic construi oporteat, *animi nostri grallae, c. ac p. n., ex se ἀκίνητοι sunt, sed ab an. moventur*, haec iunctura non mediocriter verbi *sunt* collocatione obscuratur, quod post ἀκίνητοι vel post *ex se* potius expectaveris. Probabilius, ut puto, Krahnerus de Varronis philosophia p. 15 ita et scribit et explicat: *sic illi* (h. e. homines qui in grallis stant) *animi nostri sunt: grallae crura ac pedes nostri, ex se ἀκίνητοι, sed ab animo moventur*. Ceterum ut hic Varro crura ac pedes tamquam grallas animi depingit, ita eadem alibi ut ramos arboris descripsit, apud Gellium XVI, 16 *Esse autem pueros in utero Varro dicit capite infimo nixos, sursum pedibus elatis: non ut hominis natura est, sed ut arboris. nam pedes cruraque arboris appellat ramos, caput stirpem atque caudicem*. Tantum de hoc fragmento: sunt autem etiam duo quae sequuntur eiusdem saturae valde inquinata: de quibus meas opiniones alias expromam, cum videbitur.

VIII

Postremo in hac commentatione eius saturae, cui

EUMENIDES

inscribitur, non tam pertractare, quam tenuibus lineis adumbrare argumentum vel partem argumenti constitui. Quod enim in aliis saturis ob paucitatem reliquiarum accidit, ut certius definiri ac per partes suas reparari argumentum non possit, hoc nescio an in hac ubertate fragmentorum, qua vincit reliquas omnes, prohibeatur. Attamen videor mihi primarium saltem eius consilium ac peculiarem rationem, qua id Varro exsecutus sit, non improbabiliter eruisse: unde proficiscenti fortasse licebit aliquando etiam reliqua fragmenta suo tenore intertexere. Inscriptione Aeschyleae, quae tam graeca quam Ennii versione Romanis nota erat, tragoediae admonemur: ac Varro is erat, qui cum nihil, quod quidem usui esse posset, a saturis suis alienum haberet, saepius, quantum per indices et reliquias quasdam iudicare licet, a graeca tragoedia formam ac speciem his opusculis repeteret. Velut in Prometheo Liberato (sic enim recte opinor Ritschelius inscribi suasit de logistoricis p. 14, quamquam idem, nescio consultone an casu, nuper in novo mus. Rhen. XII p. 152 probatum Oehlero Prometheum Liberum retulit) herois eius Caucaso affixi imaginem querellasque ac detestationes ad aliquam Aeschylei exempli similitudinem effinxit. Apposui infra qui huc pertinerent versus:

1 *ego infelix nón queam*
Vim própulsare atque inimicum Orco inmittere:
Nequíquam saepe aerátas manuis cómpedes
Conór revellere.

3 *atque exsánguibus*
. . . . dolore évirescát colos
2 *Tum ùt si supernus córtex aut cacúmina*
Moriéntum in querqueto árborum aritúdinc
4 *Mortális nemo exaúdit, sed late incolens*
Scythárum inhospitális campis vástitas.
5 *Levis mens numquam sómnurnas imágines*
Adfátur, non umbrántur somno púpulae.

Quibus in promptu sunt ex ipso limine fabulae Aeschyleae, quae non inepte conferantur:

v. 2 Σκύθην ἐς οἶμον, ἄβροτον εἰς ἐρημίαν.
vv. 19 sqq. ἄκοντά σ' ἄκων δυσλύτοις χαλκεύμασιν
προσπασσαλεύσω τῷδ' ἀπανθρώπῳ πάγῳ,
ἵν' οὔτε φωνὴν οὔτε του μορφὴν βροτῶν
ὄψει.

cf. 31 sq. al. Varronianorum tetigi frr. 1. 2. 5 supra p. 56. 94. 69. Fr. 3 scripsi quemadmodum Ribbeckius constituit in tragicorum latinorum reliquiis p. 302, qui a Varrone putat unum et alterum versum ex Attii Prometheo ascitum esse. Pro *exsanguibus* ne quis *exsangui* singulari expectet, poterat vel praemissum esse vel sequi vox unde illud pendebat, velut *membris* vel *artubus*. Pro *evirescat* in Leidensi bis *eiurescat* exhibetur. Segregari autem ab illis debet fr. 6, quod huic omnino saturae non maiore fide adscribitur quam fr. 7. Vide de illo H. Keilii adnotationem ad Diomedem p. 395: de hoc inventum M. Hertzii *(philologisch-klinischer Streifzug* p. 28). E reliquis eius saturae fragmentis, quae perquam iocose homines effingentem Prometheum depingunt, valde ridiculo exemplo Oehlerus fr. 10

Retrimenta cibi qua exirent per posticum vallem feci

et 11 *Cum sumere coepisset, voluptas retineret, cum sat haberet, satias manum de mensa tolleret*

hoc ordine ac non potius, quem natura rerum indicat, inverso posuit. Atque in illo cum *per posticum* explicaret 'per podicem', rem tetigit, leporem locutionis non assecutus est: debebat reminisci postici ostii 'in posteriore parte aedium' (Paul.

Festi p. 220 M.), quo Horatius utitur in epistulis I 5, 31 *rebus omissis Atria servantem postico falle clientem.* Sic corporis partes cum partibus aedium Varro in Μαρκοπολι fr. 4 composuit, *sensus portae, venae hydragogiae, cloaca intestini.* De exitu fragmenti vide Lachmannum ad Lucretii III 906 p. 191 et M. Hauptium de Calpurnio et Nemesiano p. 33 sq. Versus, qui inessent in fr. 11, cum Oehlerus 'restituendos aliis reliquerit', pone *retinet* inserto *et* videor mihi par pulchrorum Sotadeorum nancisci:

Cúm sumere coépisset, volúptas retinéret,
Et cum sat habéret, satiás manum de ménsa
Tóllcret.

Sed missis aliis, quae de hac satura monenda aliquando suppetant plura, ut redeam illuc, Varronem e tragoedia graeca nonnumquam colores duxisse, porro inscriptio saturae Armorum Iudicium indicio est, cuius fr. 2 arguit ad depingendum 'praeclarorum philosophorum' nescio quod certamen scaenas ex illa celeberrima ὅπλων κρίσει tam graecis quam romanis tragicis tractata petitas esse. Nec absimili genere videntur Aiax Stramenticius, Hercules Socraticus, Pseudaeneas contineri. Verum de Eumenidibus non est quod in tituli indicio et illorum exemplorum similitudine subsistamus: immo extant inter reliquias ipsas vestigia quaedam, quae nos ad graecae tragoediae exemplum deducunt. Non illud dico, quod aliquot fragmenta non plures insanos, qui visi sunt nonnullis, sed unum aliquem furore ac vesania agitatum referunt (frr. 43 et 44): quamquam ne huius quidem rei nullum esse ad hanc quaestionem momentum apparebit. Expressius vestigium illud est, quod in fr. 43 agnosco: *vulgus confluit, non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum, qui . . . opinionem mihi insaniae meae confirmant.* Nempe quod dicit *non Furiarum,* licet Furiarum mentio etiam fr. 45 habeatur, non videtur commodius suam habere rationem, quam si hunc Varronianum furiosum statuas ad Furiis agitati Orestis similitudinem effictum esse: *non Furiarum, quemadmodum Orestem, sed puerorum vulgus me cingebat:* fere ut Sesquiulixes Varronianus in cognomini satura vereri se aiebat, ne se quoque reducem, quemadmodum Ulixem Homeri, praeter canem cognoscat nemo. Cf. p. 102. Eiusdemque Orestis quem, cum

supplex Minervae signum amploxarctur, Furiae fugaro incep-tant, fr. 39 admonemur: *ubi vident se cantando ex ara excan-tare non posse, deripere incipiunt:* qued nescio quem in ara dei deaeve supplicem, ut videtur, adsidentem et a nescio quibus deroptum significat. Denique ut Orestes Areopagitarum iudi-cio liberatus traditur, ita de eo quoque, quem Varro induxit, insano sententia iudicum decernitur: fr. 44 *Forenses decer-nunt, ut Existimatio nomen meum in sanorum numerum referat.* Sic enim *sanorum* in libris scribitur, non quo omnis eius fr. ratie obscuratur, *insanorum*, post Popmam ab Oehlero incon-siderate receptum. Erge collectis his indiciis ad Orestis spe-ciem efformatum hominem insanum nanciscimur, qui a deo deave frustra levationem insaniae precatus tandem indicum decreto in sanerum numerum refertur. Cumque per nonnulla fragmenta in matris deum templum inducamur, subit animum cegitatio, huius deae aram supplicem istum occupavisse: quando cum sacerdotes Cybeles medicae artis peritos tum Cybelen ipsam sanandi animi morbum facultate praeditam credebant. Cf. Schwenckii *Mythologie der Griechen* p. 338. Atqui aliae reliquiae eundem insania laborantem indicant de eodem morbo Serapim adiisse, quem et ipsum Aesculapii partos sustinuisse perhibebant. Cf. Schwenckii *Mythologie d. Aegypter* p. 275, Welckeri *kleine Schriften* III p. 99 sqq., O. Iahnius ad Per-sium p. 133. Denique idem aegrotus ad philosophorum scho-las ablegatur, in quibus longe certior quam in numinum illo-rum sacris insaniae ac dementiae curatio posita sit: cui qui-dem censilio insanus ipse propter infandas philosophorum inep-tias semet parum obtemperantem praestat. Intercedit porro aliud, quod post dicam, que paratur curatio, quam postreme suo iudicio forenses conficiunt.

Tetigi quid maxime Eumenisin Varronis commune sit cum Aeschyli fabula et eam quam primariam esse eius saturae partem existime significavi. Addo illud, post ea quae p. 110 sq. dispntavi non inepte Varrenem ipsum credi sub insani per-sona delitescentem: qui eam induit personam, que aliorum in-saniam, quae nulla haberetur, acrius perstringeret sanandique vias, quae salutares vulgo putarentur, vanas et ficticias esse

quasi suo exemplo ceteris ante oculos poneret. Quae quidem suspitio eo adiuvatur nonnihil, quod peculiare Varronis studium tam in cavillandis Cybeles ac Serapidis cultibus peregrinis, quibus aboleri ac corrumpi fere antiqua Romanorum sacra viderentur, quam in carpendis graecorum philosophorum nugis agnoscitur, quibus cavendum erat, ne vera romana morum disciplina nimis inficeretur.

Sed perscribam, quo illa, quibus munire probabili reliquiarum distributioni viam volui, et illustrem et viriliter confirmem, ipsa iam fragmenta, quae huc pertinere arbitror, eo quidem ordine, quem proximum a pristino esse mihi persuasi.

Quibus modis Varro vel semet ipsum vel eum cui has partes dederit, correptum furore simulaverit, dicere non possum: at ubi fama eius insaniae vulgatur,

I (43) *vix vulgus confluit, non Furiarum, sed puerorum atque ancillarum, qui omnes me bilem atram agitare clamitantis opinionem mihi insaniae meae confirmant.*

vix esse pro *statim* hoc exemplo docet quidem Nonius p. 421, 6, sed ita docet, ut ex addito altero Vergilii exemplo appareat, eum non novam et inauditam eius particulae notionem tradere: *Virg. lib. II: 'vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit'*, quemadmodum cum multi alii tum Varro ipse locutus est in Sexagessi fr. 18 *vix ecfatus erat, cum more maiorum* e. q. s. Itaque etiam in illo exemplo probabile est, Nonium nonnisi protasin apposuisse, quam exordiens a *cum* particula enuntiatum excipiebat: nisi quis malit inter *vix* et *vulgus* intercidisse quaedam, huius fere sensus: *vix vulgatur fama, cum vulgus confluit:* quod cum mihi magis placeat, tamen obstare alicui videatur, eandem sententiam ab eodem Nonio p. 153, 3 eadem forma afferri: *vix vulgus confluit:* quamquam memorabilem Nonii etiam in vitiis manifestissimis constantiam saepius observavi: quam tetigit etiam Ritschelius in novo museo Rhen. VI p. 540 adn. Sed hoc utut est, non poterit porro Nonio auctore tradi *vix* etiam in *statim* particulae notionem abiisse. *Pueros* servos dici Nonius scribit p. 153, 3, convenienter iuxta posito *ancillarum* nomini. Conferre iuvat Horatii sat. II 3, 130: *in-*

sanum te omnes pueri clamentque puellae. De *bile atra* vide Oehleri adnotationem: *splendidam bilem* quo sensu in simili causa Horatins sat. II 3, 141 dixerit, Heindorfins explicnit. Cf. praeterea de *bile acri* et *bile vitrea* O. Iahnius ad Persium p. 122. 145. Ceterum, ne qnis Oehleri neglegentia fallatur, *opinionem* esse *suspicionem*, non quod ille dicit *famam* Nonins scripsit p. 356, 15. *clamitantis* forma non fngit Lachmannum ad Lucretii I 805 p. 56.

Iam cum fr. 28 *propter percrepis vocibus volitans aures vulgi* designari famam Oehlerus recte admonuerit, non absonum videtur hoc fragmentnm cum illo aliquo modo conectere. Illa verba cum Lachmannns in ind. lect. hib. Berol. 1849—50 p. 4 in Sotadei formam coire docnisset hoc modo:

Própter percrepis vocibu' vólitat aureis vúlgi,

contradixit Roeperus Philologi IX p. 569, sed ita nt suam mihi sententiam non probaret, non quod non bonum versum esse concederem

Própter volitans aúreis vulgi pércrepat his vócibus,

sed quia nolo ad acriorem medicinam confugi, cum lenior eademque satis efficax in promptu sit. Certe nbi semel ea licentia Nonii memoriam tractamus, cnr probabiliorem dicam Roeperi septenarium hoc Kochiano, quem ille ignoravit, in exercitationibus p. 19:

Própter volitans vócibus vulgi aúres percrepis . . ?

Qnare curiosius paullo considerandum, an non etiam severiori iudicio sufficiat Lachmanni inventnm, qui *volitat* reposito pro *volitans* suum constituit versicnlum. Atqni *percrepae voces* qnas intnlit sunt illae qnidem, ut pnto, nove dictae, sed ita ut nec desiderent analogiam nec abhorreant ab linguae et scriptoris ingenio. Dico *personus* adiectivnm et passiva et vero etiam activa vi usurpatum. Hac vero forma *percrepis vocibus* Nonium ita deceptnm esse, nt Varronis locum exemplis *crepandi*, *percrepandi*, *concrepandi*, *increpandi* immisceret, non hercle est singulare in hoc grammatico socordiae specimen: cf. vel qnae de *tibinis modis* dixi p. 21 sq. Error autem ut fit novum crea-

vit errorem: cnm enim Nonii culpa *percrepis* pro verbo acciperetur, ne dno in uno enuntiato verba haberentur, alterum *volitat* commutatnm cnm participio. Denique vim suam et gratiam meo qnidem sensu habet illa non immodicae audaciae verborum collocatio *propter percrepis vocibus volitat aures* pro *percrepis vocibus proptervolitat aures.* At vero et Nonius purgatur neglegentia et ne leni quidem illa mutatione opus est ita distributis verbis:

propter pércrepis
Vócibu' volitans aúreis vulgi.

Audio: nec ita haereo in dactylica voce trochaei loco posita, de qua dixi p. 67. Sed displicet sententia, maxime sic nude positum *vocibus* vocabulum. Quare ego dum quid melius edocear (nam Roeperi quidem inventa non sunt meliora) Sotadeum Lachmanni obtinebo.

Sed cum rursns ad Sotadeos deflexorit oratio, licebit modeste quaerere, elndarne fallaci specie, cum ANDABATARUM fr. 10 duos Sotadeos contineri suspicor:

'In rellicuó corpore ab hóc fonte diffúsast
'Anima: hinc animús ad intellegéntiam tribútus.

In quibus quod *ad intellegendum* scribit Oehlerus et ita explicat: 'intelligere verbum absolute positnm, ut apud Cic. orat. c. 10 et 17', suam neglegentiam illustravit, non Varronem, qui ne nsus qnidem verbo est, sed nomine quod scripsi (vid. Non. p. 426, 30). In Sotadeis autem illis cum cetera sine offensione fluant (corte nec hacc forma ⏑́ – ⏑ –, qnae est in pode tertio prioris, nec ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑ in initio alterins versus est cnr addnbitetur), haereo nonnihil in hoc pede: *mús ad intelle.* Hac forma –́ – – ⏑ usùm esse Varronem certa exempla evincunt: atque cum tam hanc – ⏑ – –, quam soluta arsi prima ⏑ ⏑ ⏑ – – probarit, videndum est, num etiam in illa – – – ⏑ priorem arsim solutam non effugerit. Certe emendatio probabilis mihi non suppetit, ut aut casu illa rhythmi similitudinem affectent, aut ne illa quidem forma Varroni abiudicanda sit.

Redeo ad furiosi nostri vesaniam: de cuius fortuna nunc statim obveniunt viae, quas ingressus est, curationis. Ac pri-

mum quod eum Cybelen de morbo adeuntem facio, disputatio ipsa probabit. Pertinent autem ad hunc locum haec, quae infra scripsi, fragmenta:

II (35) *En commodum praeter matris deum aedem exaudio cymbalorum sonitum.*

III (38) *Cum illo venio, video gallorum frequentiam in templo, qui dum messem hornam adlatam imponunt Attidis signo, synodiam gallantes vario recinebant studio.*

IV (36) *Tibi typanq, non inani sonitu, matri' deum*
Tonimus modos tibi, nos tibi nunc semiviri
Teretem comam volantem iactamu' galluli.

V (37) *Frygios per ossa cornus liquida canit anima.*

VI (39) *Ubi vident se cántando ex ara éxcantare nón pote,*
Déripere incipiúnt

VII (47) *Apage in dierectum á domo nostra ístam insanitátem.*

Ergo necopinato ab aede Cybeles cymbalorum sonitu percepto, ilico furiosus eo confugit: gallos offendit in templo synodiam recinentes Attidi. Interim, quo salutarem deae opem experiatur, in aram eius insilit: unde primum horridule cantando, dein deripiendo galli eum amovere student: denique dereptum ex aede sua repellunt.

Fr. II libri Nonii p. 529, 13 *domum* tradunt, quod cum nihili sit, editores inde a Iunio *demum* vulgarunt, ne id quidem probabile. Reposui quod rei convenit nec a litteris nimium abhorret: *commodum (c̄modum).* Sic Catullus X 26 *commodum enim volo ad Serapim Deferri* ex perquam probabili Handii coniectura in observationibus p. 54. Et Plautus in Sticho 366 ex subtili Fr. Bücheleri emendatione (novi musei Rhen. XII p. 132): *Cómmodum radiósus se ecce sól superabat éx mari,* ubi cum *ecce* coniungitur *commodum*, ut in nostro exemplo cum *en*, et sic saepius tam *commodum* quam *commodo* et *commode.* Cf. Scaliger. ad Catullum p. 12. Ceterum non infrequens in veteribus libris est ea, qua mea nititur emendatio, *modum* et *domum* formarum permutatio. Fr. III scripsi ex luculenta

Lachmanni emendatione, quam fecit in ea disputatione quá de Ovidii epistularum actate et auctoritate egit (ind. lect. aest. Berol. a. 1848 p. 3). Nonii exemplaria p. 119, 2 *vento* (quod pridem correctum a Salmasio Oehlerus addito 'recte fortasse' dimisit) *video — qui dum essena hora nam adlatam imponerel aedilis signosiae et deam g. v. retinebant studio.* Quae graviter corrupta multa criticorum conamina irrita ut nunc apparet omnia procreavit: quae iam non est quod accuratius recenseam. Ad eiusdem Lachmanni mentem scripsi nunc versus qui sunt in fr. IV: de quibus disputavi p. 19 sqq., tum ignarus Lachmannianae restitutionis, quam interim indicavit mihi Fleckeisenus. Pudet me illa tum nescivisse, qnamqnam disputationis ipsius ne nunc quidem paenitet. Nam qnod maxime evincere stndebam, Varronis galliambos, qnos satis licenter nonnulli habuerant, non recedere a Catulliana severitate, hoc nunc Lachmanni iudicio confirmatum video: ut eorum quae reprobarim ne nunc qnidem quicquam probare debeam: sed ipse cum refingere ad Catnlli regulam illos versus Varronis susciperem, erravi eo maxime, quod repetitum *tibi* pronomen cum superioribus omnibus ad ipsam matrem deum referrem: inde cum *matri deum* (vel *mater deum)* a versu abhorreret, *matri*' autem *deum* concinnitate sententiae respueretur, ipsa ratione eo ferebar, ut de interpolatione cogitarem: nunc cum non matrem deum, sed Attin appellari exploratum sit, sua sponte fluunt omnia ut supra scripsi. Cumque in eo galliambo, quem Meinekius agnoverat:

Spatule eviravit omnes venerivaga pueros

dubitanter cogitarim de transpositione *pueros venerivaga*, eam nunc secutum esse Lachmannum cognosco, qui versum, quo item Attin significari suspicatur, sic restituit:

Spatula eviravit omnes pueros Venerifuga.

Fr. V, quod quidem ad eundem cantum gallorum velim referri, non potest tamen nunc artissime, quod putabam, cum superioribus conecti. De fr. VI sententia et usu discedo a Lachmanno, qui ipsum Attin ex ara excantari arbitratur: quam

opinationem cum non possim argumentis refellere, tamen ne meam quidem de eo fragmento coniecturam, quam supra secutus sum, nullam habere probabilitatem existimo. Ceterum numeros distinxi pro *posse* quod est in libris reposito *pote*, quod etiam infinite usurpari Ritschelius dixit in prolegomenis ad Trinummum p. CXI. Possis etiam de *potisse* (cf. Lachmannus in Lucr. p. 316) et octonario cogitare: neutro modo numeri ipsi opinor addubitari poterunt. *Deripere incipiunt* apparet aeque bene dactylici versus initium quam trochaici efficere, ut, cum vel hoc trochaico continuare hexametrum non alienum videatur ab artificio Varronis, certius e quo genere versuum illa sumpta sint dici non possit. Fr. VII vel sine ulla mutatione praebet eum, quem significavi, septenarium iambicum. Refero autem, quod supra indicavi, verba ad gallos, qui istis verbis insanum ex aede sua repellere videantur. *Domum nostram* enim dicunt aedem Cybeles: quemadmodum non semel Catullus: 20 *sequimini Phrygiam ad domum Cybebes, Phrygia ad nemora deae.* 35 *ut domum Cybebes tetigere lassulae.* Cf. Vergilii Aeneidos VI 81. *in directum* non aliter dicitur atque comicis frequentatum *in malam crucem* et similia. Veriloquium vocis quod est apud Nonium p. 49, 26 '*directi' dicti crucifixi quasi ad diem erecti* non verius videtur quam quod scribit Paulus breviator Festi p. 69 M. '*directum' dicebant per antiphrasin, volentes significare malum diem.* Cf. Mülleri adnotatio. At tamen, ut verum fatear, cum versus quibus Attin suum Catullus concludit,

Dea, magna dea, Cybebe, dea domina Dindymi,
Procul a mea tuus sit furor omnis, era, domo

cum hos versus considero, fieri posse concedo, ut etiam illa Varronis verba in similem Catullianis sensum dicta fuerint ab aliquo, qui furor iste gallorum precatur ut semper a sua domo procul absit.

Ad cultum deae Phrygum ac furibundam gallorum speciem duo praeterea fragmenta referenda sunt, quae tamen consulto ab illis secrevi. Nempe videtur ille ab aede Cybeles reversus de gallorum quem modo aspexerit habitu cum nescio quo sermonem seruisse:

VIII (40) *Rúditatem an pudórem gallum coépit inibi víderim.*

IX (41) *Nam quaé venustas his adest gallántibus?*
Quae cásta vestis? aétas quae adulescéntium?
Quae téneris species?

Atque his quidem quaerenti de ruditate gallorum responderi apparet. Fr. VIII Nonii exemplaria p. 487, 26 *pruditatem* exhibent et *mihi videri*. *ruditatem* Oehlerus correxit, cui quid praestet Prelleri *procacitatem* non intellego: id quod hinc prorsus alienum esse vidi, ubi fragmentum illud metro conceptum fuisse cognovi: in his enim *mihi videri*, quae Oehlerus commutavit cum *coepit mihi, vereris?*, nihil latere opinor nisi quod reposui *inibi viderim:* quibus receptis ilico prodit non reiectaneus septenarius trochaicus. De *coepit*, quod est *coepit quaerere, sciscitari*, sufficit contulisse Ovidium in fastis IV 215 sqq.

Desierat. coepi: 'cur huic genus acre, leones
Praebent insolitas ad iuga curva iubas?'
Desieram. coepit: 'feritas mollita per illam
Creditur.'

Castam vestem quae dicitur fr. IX puto de gallorum habitu muliebri intellegendam: cf. Creuzeri *Symbolik und Mythologie (Deutsche Schriften* I 2) p. 364.

Tantum est reliquiarum, quae ad Cybelen pertinere videantur: quam quidem narrationem omnem credibile est Varronem ita instituisse, ut cum vanam esse creditam deae ad sanandum animi furorem efficaciam ostenderet, simul universam cum illo cultu innctam superstitionem salibus adspergeret. Pergimus ad Serapim, de cuius curatione haec vesanus ille expromit:

X (18) *In somnis venit, iubet me cepam esse et vesci cuminum.*

XI (20) *Nunc de te, inquit, meliusculam spem habeo, qui rem spurcissimam gustare noluerim.*

Interim accedit, qui istam insani credulitatem castigat, eique aliam et meliorem sanationis viam indicat:

XII (16) *'Ego medicina, Serapi, utor' cottidie precanti* intellego recte scriptum esse Delphis Θεῳ Ηρα.

XIII (17) *A. Hospes, quid miras animos curare Serapim?*
B. Quid? quasi non curet tantidem Aristotelis vis.

Fr. X quo illustraretur apposite Oehlerus Ciceronis locum de divinatione II 59, 123 attulit: *Qui igitur convenit aegros a coniectore somniorum potius quam a medico petere medicinam? An Aesculapius an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis, Neptunus gubernantibus non potest?* Ceterum vide quos supra p. 171 de eadem re laudavi libros. *Vesci cuminum* correxit Iunius: *fessiminum* codices Nonii p. 201, 10. Fr. XI *inquit* sc. deus per somnium visus. Pro *noluerim* Mercerus *nolueris* malebat, 'recte fortasse' ut sentit Oehlerus. Videor mihi *noluerim* vindicare posse: nec enim *qui* – *noluerim* coniungendum cum *habeo*, sed cum illis *de te* hoc fere modo: *nunc de te melinsculam spem habeo dicit de me, qui (quippe qui) spurcissimam rem gustare noluerim;* nempe causa spei melioris non a deo, cuius verba referuntur, sed ab eo, qui de se suaque curatione narrat, adiicitur. Fr. XII etiam per abruptam sententiam dispicitur, castigari sacerdotum Serapidis fallaciam et avaritiam, qui credulos istos, qui se curari a deo cupiant, nummis eludant. *precant* sc. qui se sanari volunt: scripsi autem activa forma *precant,* cum codices Nonii p. 480, 26 tam in lemmate quam in exemplo Varronis *precantur* exhibeant: quod cum non possit in ea sententia passive accipi, credibile est Nonium inter 'contraria genera verborum', quae ibi recenset, ut paullo ante ex eodem Varrone *mirare* attulit, sic hoc loco activum *precare* posuisse, qua forma usos esse antiquos Priscianus p. 779 tradidit. *medicina utor* sic videtur accipiendum, ut non distet ab his *indigeo medicina, mihi opus est medicina.* Non absimile puto Plautinum in Trinummo 258 (II 1, 26) *Apage amor, non places: nil te utor;* et *usus* nomen saepius usurpatur pro eo quod est *opus. scribtum* codices excepto Bamb. Denique Θεωι Ηρα Oehleri coniectura est: libri *theo hera.* Vide de ea inscriptione Delphica Göttlingii disputationem *(Berichte d. sächs. Ges. d. Wiss.* 1847 p. 308). Fr. XIII versus duos ita distribuo, ut priore calumniatori Serapidis medici aegrotus respondeat: alter hospiti Aristotelis et philosophorum curam prae Serapide commendanti adscribatur.

animos scripsi: libri Nonii p. 480, 29 *animo*, quod Oehlerus defendit contra Turnebum, qui in adversariis IV 8 *nummo* coniiciebat, ipso nexu, quo hoc fragmentum olim habitum volumus, reiectaneum. De versu altero, quem vulgo pentametrum putant, *tantidem* media brevi, dixi p. 60. Hiatum possis *et* ante *Aristotelis* inserto devitare. *curet* (libri *curat*) Turnebus correxit: Oehleri nugae videantur apud ipsum. *tantidem* cum proprie sit *eodem pretio*, hoc loco commoda nec nostratibus incognita translatione accipitur *aeque facile*, *bene*. *Aristotelis* nomen instar omnium philosophorum est: de quo usu, qui Varroni in deliciis, attigi quaedam p. 31.

Ergo ad philosophiam ubi de animorum cura ablegatur furiosus, latissimus disputandi philosophorumque ineptias cavillandi campus aperitur. Videtur hoc loco Varro ex quovis philosopharum rationum genere specimina nugarum delegisse, quamquam nobis ex eo recensu, cui similes fecit cum alibi tum in Icaromenippo c. 6 sqq. Lucianus, nonnisi ea quae Pythagoram, Empedoclem, Zenonem attinebant, residua sunt.

XIV (22) *Quid dubitatis utrum nunc sitis cercopitheci*
An colubrae an volvae de Albuci subus Athenis?

XV (23) . *Empedocles nátos homines éx terra ait uti blitum.*

XVI (25) *úbi dicatur primus*
Zenón novam haeresim novo paxillo suspendisse.

Fr. XIV Pythagoreorum metempsychosin perstringi neminem fugit: unde tamen Varronem omnino a Pythagorae doctrina abhorruisse non magis colligi debet, quam inde quod fr. XVI ne Zenoni quidem pepercit, ei nullam fuisse cum stoicis affinitatem. Musicum Pythagorae systema tetigit in ONOI ΛΥΡΑΣ: vide p. 15, et in aliis quoque secutum Pythagoreos esse, ex eis apparet, quae M. Hertzius disputavit de Nigidio Figulo p. 24. Cf. Krahneri de philosophia Varronis p. 22 sq. Finem eius fragmenti graviter depravatum tradunt Nonii codices p. 201, 25: *an bolvae an de albu cibus labus Athenis*, quae egregia coniectura Rothius restituit: *an volvae de Albuci subus Athenis:* quam cum ceteroquin probaret Oehlerus, praetulit tamen *beluae*,

an de (cf. addenda), nescio utrum *beluae* duabus syllabis an prima correpta efferri voluerit: nec is tales minutias solet curare. De T. Albucio cf. Drumanni *Geschichte Roms* V p. 708 adn. et O. Iahnius ad Ciceronis Brutum 35, 131, ubi Cicero illum 'perfectum Epicureum' appellat: ut haec omnis dictio *volvae de Albuci subus* Horatiani admoneat *Epicuri de grege porcus* in epistulis I 4, 16. De volva vel vulva, quae fuit pars delicatior suis, vide Lambinum ad Horatii epistularum I 15, 41. Itaque Varro cum Pythagoreorum metempsychosin lepidis exemplis carperet, non omisit occasionem Epicureis, quibuscum videtur nullam omnino necessitudinem habuisse (cf. Rothii de vita Varronis p. 10 adn.) stimulum addendi. Empedocleae de origine rerum sententiae, quam fr. XV deridet, vide veterum testimonia apud Prellerum hist. philos. p. 142 ed. II. Ceterum lenissima mutatione (*uti* enim scripsi pro *ut*) probum inde septenarium trochaicum elicui, quem capite una syllaba truncatum praemisso *nempe* plenum exhibere possis. Sed de eo supplemento nihil affirmo. Zenonem Varro etiam in Sesquiulixe ad partes vocavit: vide p. 114 sqq. Quam potissimum stoicorum sententiam hoc loco derisui habuerit, dici nequit. Carpsit autem nonnumquam in aliis quoque saturis stoicorum παράδοξα, velut notissimum illud, solum sapientem formosum, regem, divitem esse, in ea satura, cui inscribitur Longe Fugit Qui Suos Fugit: item stoicorum decreta in saturis Περὶ Ἐξαγωγῆς et Κοσμοτορύνη persecutus est. Cf. Rothii de vita Varronis p. 9 sq. adn. Illud quod dicit, Zenonem novam haeresim novo paxillo suspendisse, lepida translatio est pro simplici, Zenonem novam e novo principio deductam rationem induxisse. Cf. de novo paxillo p. 136. Ceterum septenarios iambicos, quos suasit Fleckeisenus, distinxi.

Concludit philosophorum recensum graviter hac pervulgata sententia:

XVII (30) *Postrémo nemo aegrótus quicquam sómniat*
Tam infándum, quod non áliquis dicat phílosophus.

Cui consimile illud apud Ciceronem de divinatione II 58, 119:

sed nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.

Quare quid ego de curatione animi adeam philosophos, qui cum ne ipsi quidem sint sani, insano non magis mederi possunt, quam insanus equiso furentem equum e morbo vindicare valet. In hunc enim comparationis usum adhibitum puto hoc fragmentum:

XVIII (24) *Neque furentem eculeum Damacrinum insanus equiso ex rabidis morbi fluctibus educat umquam.*

Ut appareat, quo iure Oehlerus 'non male' Turnebum et Popmam *sanus equiso* reposuisse dixerit: quasi non satis esset, multa nobis per laceram reliquiarum condicionem obscura esse, nisi etiam quaedam, quae plana sunt, criticorum perversitate obscurarentur. Ceterum de eculeo Damacrino (sive fuit Damacriano, ut est in Nonii libris p. 105, 12) nihil mihi compertum est: nec suppetit paullo certior emendatio corruptelae, quam utroque loco Nonii et p. 105, 12 et p. 106, 2 codices perhibent, *exhibebis:* quod supra scripsi *ex rabidis* Oehleri coniectura est; Rothius opinatur *ex hibus;* mihi placeret, quod simplicissimum erat, *ex huius morbi fl.: educat* an *educet* (illud libri p. 105, hoc p. 106) germana scriptura sit, ambiguum est. Quare emendationem verborum cum perficere nequeam, ne numeros quidem attingam, quibus conceptum fuisse fragmentum suspicor.

Ita insanus noster et hospes de philosophis deque eorum cura dementiae disputant,

XIX (29) *Et écce de inproviso ad nos accédit cana Véritas, Attices philosophiae alumna.*

Octonarium Meinekius agnovit, cui adhaerent pedestri sermone elata: *Attices phil. al.* De forma *Attices* cf. quae dixi p. 115. Canae Veritati conferri possunt Vergiliana *cana Fides* (Aen. I 292), *cana Vesta* (Aen. V 744): nec non admoneor illis etiam Goethiani: *die alte Schwiegermutter Weisheit.* Veritatem antem Varronis, quae personae vicem obtinet, cum Atticae philosophiae alumna dicatur, probabile est novam academiam signi-

ficari, sed non eam, quae omnino nihil veri, nihil certi esse affirmabat, sed eam, quam Antiochns Ascalonita, praeceptor Varronis, repraesentabat, qni missis novorum academicorum nugis ao rixis ad veterem academiam rediit ita, ut cum academicis et stoicorum et peripateticorum placita misceret. Cf. Prelleri hist. phil. p. 494 sq. ed. II eundemque in Oehlerianae editionis censura, quam p. 6 attuli. Quo vero consilio credemns canam Veritatem a Varrone induci? nempe ideo, ut edoceat, nullam esse eam, qua ille so teneri putabat, insaniam, nec eum insaniorem esse reliquis omnibus: nimirum huc pertinet notum stoicorum decretum ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται, quo qnidam totins saturae argumentum contineri putabant. Nec si probabiliter sub Veritatis persona delitescentem Antiochi disciplinam agnovimus, alienum est, hanc disputationis partem tribui ei, qni ipse a stoicorum scholis progressus est. Cf. Rothii de vita Varronis p. 10. Itaque quemadmodum ante insanus nugarum philosopharum recensum exhibnit, sic nunc Veritas vulgaria hominum vitia tamqnam totidem insaniae genera perseqnitur.

XX (19) *Tu nón insanis? quó tibi vino córpus corrumpis mero?*

XXI (21) *Aiax tum credit ferro se caedere Ulixem,*
Cum baculo silvam caedit porcosque trucidat.

XXII (34) . . *capite apérto iubet esse, ánte lucem súscitat,*
Frigore [acri] tórret, venatum éiecit ieiúnio
Villicum.

XXIII (33) . *denique qui sit avarus*
Sanus? cui si stet terrai traditus orbis,
Furando tamen, a morbo stimulatus eodem,
Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi.

Quodsi praeter fr. XXIII nihil ex hac parte superstes esset, hoc nnnm opinor sufficeret ad concipiendnm animo illum qnem statuo insanitatum recensum: de quo mihi eo certius constat, quod e posterioris poëtae opnscnlo licet dilaceratam Varronianae saturae speciem mente redintegrare. Damasippum

Horatii dico, quem cum olim nonnulli cum Varronis satura conferrent, nec eam similitudinem quo maxime pertineret perceperunt, nec ad explicandas Varronis reliquias longius persecuti sunt. Ergo adscribam, quae huc referenda videantur, e satura Horatiana (II 3), qua poëta Damasippum non quidem ex suo sensu, sed e mente Stertinii stoici δόγμα illud stoicorum ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται exemplorum frequentia illustrat. Itaque Stertinius Damasippum olim, cum se vellet operto capite in flumen mittere, ita appellaverat (v. 39):

Pudor, inquit, te malus angit,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.

v. 46 *nunc accipe, quare*
Desipiant omnes aeque ac tu, qui tibi nomen
Insano posuere.

Ita fere putaverim Veritatem quoque Varronianam eum, qui se mentis furore propter hominum famam (cf. fr. I) correptum credebat, appellasse. Deinceps Stertinius suum recensum his versibus orditur: v. 77 sqq.

Audire atque togam iubeo componere quisquis
Ambitione mala aut argenti pallet amore,
Quisquis luxuria tristive superstitione
Aut alio mentis morbo calet — huc propius me,
Dum doceo insanire omnes, vos ordine adite.
Danda est ellebori multo pars maxima avaris.

Ergo primam Stertinius (sive Damasippus) avaritiam profert, quae postrema fuit in compari recensu Varronis: *denique qui sit avarus Sanus* e. q. s. (XXIII). Ceterum quod Varro dicit, avarum etiam si omnia suppeterent *furando* tamen semper aliquid quaerere peculi, ne ab eo quidem Horatius abludit, cum ait (v. 125 sqq.):

quare,
Si quidvis satis est, periuras, surripis, aufers
Undique? tun sanus?

Quodsi in universum dubia esse nequeat Varronianae Horatianaeque saturarum similitudo, satis confidenter licet fr. XXI

et locum in hac parte vindicare et rationem ac sensum accuratius definire. Nempe exemplum a furore Aiacis Horatius quoque repetiit suumque in usum convertit: v. 197 sic personatus Agamemnon:

Mille ovium insanus morti dedit, inclytum Ulixem
Et Menelaum una mecum se occidere clamans.

Cui Damasippus e mente Stertinii reiicit:

Tu cum pro vitula statuis dulcem Aulide natam
Ante aras spargisque mola caput, inprobe, salsa,
Rectum animi servas? quorsum? insanus quid enim Aiax
Fecit, cum stravit ferro pecus? abstinuit vim
Uxore et gnato, mala multa precatus Atridis.

Et rursus v. 211 *Aiax cum inmeritos occidit desipit agnos:*
Cum prudens scelus ob titulos admittis inanes,
Stas animo?

Quid ergo? improbabile videbitur, Varronem quoque, cum de Aiace scriberet illa (XXI)

Aiax tum credit ferro se caedere Ulixem,
Cum baculo caedit silvam porcosque trucidat,

huic furori opposuisse alterum maiorem, quo quis sana mente uxori vel gnato manus inferret, nec tamen a quoquam insanus haberetur?

Fuit hoc ab Aiacis furore petitum exemplum percommodum in hunc usum, nec improbabile illud simul cum decreto isto, omnes stultos insanire, multum in stoicorum scholis decantatum esse, ut alterum illud de Oreste Furiis agitato, quod et ipsum ab Horatio adhibetur (v. 128 sqq.):

populum si caedere saxis
Incipias servosve tuo quos aere pararis,
Insanum te omnes pueri clamentque puellae:
Cum laqueo uxorem interimis matremque veneno,
Incolumi capite es? quid enim? neque tu hoc facis Argis,
Nec ferro ut demens genetricem occidis Orestes e. q. s.

Utrumque exemplum et Aiacis et Orestis non dissimili consilio Iuvenalis composuit XIV 284 sq.

Non unus mentes agitat furor: ille sororis
In manibus vultu Eumenidum terretur et igni,
Hic bove percusso mugire Agamemnona credit
Aut Ithacum. parcat tunicis licet atque lacernis,
Curatoris eget, qui navem mercibus implet e. q. s.

Ut putaverim ne Varronem quidem, praesertim iu Eumenidibus, abstinuisse Orestis exemplo.

Nou ita plaua sunt frr. XX et XXII: quamquam illud huc pertinere interrogatio *tu non insanis?* iudicio est: prouomine illo *tu* non unus iuterlocutorum appellatur, sed nescio-quis, quem castigaus Veritas sibi ob oculos ponit: quemadmodum cum saepius alibi Horatius tum in hac ipsa qua utimur satura: cf. v. 126 *Tun sanus*, quod supra attuli, ad avarum, quem depingit Damasippus, relatum. Sic Varro illo fr. videtur luxuriosum et aliquem Nomeutanum appellare: *Tu non insanis? quo tibi vino corpus corrumpis mero?* Nam haec ex ea parte sumpta arbitror, qua luxuries pariter ut postea avaritia perstriugebatur. Ac fieri potuit, ut Varro more suo hic quoque luxuriae opponeret frugalitatis exemplum: ut non improbabiliter fortasse huc referatur fr. 11 *Patella esurienti posita provocat Neapolitanas piscinas:* in quo non est quod *patellam* cum Oehlero 'pro teuui victu' positam accipiamus; immo hoc dicit Varro: tenuis patella esurienti posita facile vincit (vel provocat spe victoriae freta) delicata scitamenta, quibus titillare ganeones palatum solent: pro cuiuslibet enim generis gulae irritamentis piscinas appellavit Neapolitanas, de quibus cf. Varro rerum rusticarum III 3, 10. 17, 9. Fr. XXII putavi iusaniam eius castigari, qui cum ipse delicatulae vitae indulgeat, villicum, quem aere paravit, multis modis male habeat crudeliterque torqueat, mox ut usui iam nulli esse possit. Favere huic explicatioui videbautur et Horatii versus, quos supra in alium usum adhibui, 128 sqq.:

populum si caedere saxis
Incipias servosve tuo quos aere pararis,
Insanum te e. q. s.

et Iuvenalis de satura prima 92 sq.:

simplexne furor sestertia centum
Perdere et horrenti tunicam non reddere servo?

Sed non ita persto in ea explicatione, ut non posse aliam quoque probabilem inveniri concedam: velut non absonum est, si quis illis versibus non tam vesani domini in servos barbariam quam pristinorum temporum severitatem disciplinae significari arbitretur: ut hanc qui amplectatur interpretationem, possit cum illo fr. 10 coniungere: *ex his atque eiusmodi insti tutis ac vita vel ad Herculis athla athletae facti erant.* Sed hoc cum in incerto relinquam, de enumeratione illa vitiorum tamquam insaniae generum non videtur dubitari posse. Qua peracta Veritas insano, quid igitur? inquit, famam insaniae vereris ab illis, qui ne ipsi quidem sunt sanae mentis, ut dementes ipsi eadem dementia captos etiam qui sani sint existiment?

XXIV (26) *Nam ut arquatis et lutea quae non sunt et quae sunt lutea videntur, sic insanis [et] sani et furiosi videntur esse insani.*

Huc enim non improbabiliter hoc fragmentum revocari videtur: quamquam possis etiam de philosophis cogitare, qui insani ipsi nec sanum et furiosum internoscere nec sanare dementem possint. Tantum est fragmentorum, quae cum aliqua fide videantur ad hanc partem saturae adscribi: restant nonnulla de scriptura singulorum admonenda. Atque fr. XX bonum octonarium iambicum efficere, casu puto non observatum Meinekio esse, cum *quo* h. e. *in quem finem* explicaret et cum notissimis Horatii versibus conferret, carm. II 3, 9 *quo pinus ingens albaque populus Umbram hospitalem consociari amant Ramis? quid obliquo* e. q. s. Fr. XXI cum codices Nonii p. 272, 3 ita scribant: *maximum credit f. sed cedere Ulixem, cum baccha silvam* e. q. s., Mercerus intellexit corrigendum esse *Aiax tum c. f. se caedere;* non absimile Gulielmus in verisimilibus III 18 (Gruteri Lamp. III p. 315) *Aiax dum c.* Merceri emendationem perfecit Lachmannus in Lucretio p. 14, ubi Wakefieldum in sua Lucretii recensione Aiaci Varroniano simillimum exiisse dicit: *Aiax tum credit ferro se caedere Ulixen, Cum baculo silvam* e. q. s., *Ulixen* convenienter mori Varro-

niano: *baculo,* quod concinnitas requirit, pro *baccha* vel *baccham* librorum et *bacchans* editionum. Fr. XXII versus recuperavi, quorum simulacra quaedam Oehlerus caeco studio Basilienses secutus depinxerat. *iubet esse* transposui, *esse iubet* codices Nonii p. 236, 24 et p. 452, 9. Alterius versus mensura quo constaret *acri* inserui. *eieeit* pro *eiicit* e Bambergensi recepi: cf. quae de *accedens* scriptura pro *accidens* p. 95 admonui. Pro *villicum*, quod Iunius correxit, in libris p. 452 *vellicem* scribitur, unde rectius fortasse *vellicum* dici Oehlerus adnotat. Sic Varro de re rustica I 2, 14: *a quo rustici etiam nunc quoque viam veam appellant . . et vellam non villam.* Cf. quae idem ibid. I 48, 2 de speca et spica scribit: *spica, quam rustici, ut acceperunt antiquitus, vocant specam, a spe videtur nominata.* Vide Scaligerum de *senum* et *sinum* in coniectaneis p. 210. Sed Varronem ipsum scripsisse *vellicum* non credibile est. Fr. XXIII quod in libris ita habetur p. 392, 4 *denique quis sanus est avarus, cui si stet terra id traditus orbis, furando tamen ac morbo . . . peculi*, p. 264, 20 *furando tamen ac morbo . . . peculi,* Lachmannus repulsis editorum ineptiis restituit ut supra scripsi ad Lucretii II 181, ubi *standi* notionem, quae hic est, explicat. Idem ad eiusdem libri v. 829 p. 122 *quis sanust* formam, quam Oehlerus memorabili diligentia sic *sanu'-'st* expressit, non ferendam esse in Varronis hexametris monet. Cf. quae dixi p. 27.

Fr. XXIV ne vis et concinnitas sententiae desideraretur, *et* inserui ante *sani:* ceterum collatis testimoniis Nonii p. 35, 16 et p. 549, 22 ea conformatio fragmenti prodit, quam supra secutus sum: nec de collocatione verborum *videntur esse* (p. 549 *esse videntur* legitur) dubitatio esse potest.

Ergo Veritas licet sua disputatione illud effecisset, ut furiosus, quem putarant omnes, se iam non dementia captum existimaret, tamen cum semel fama insaniam eius divulgasset, ab ipsa Existimatione debebat in sanorum numerum referri. Forensium igitur iudicium anquiritur:

XXV (44) *Forenses decernunt, ut Existimatio nomen meum in sanorum numerum referat.*

Forenses apertum est vocari qui in foro versantur et agitare

causas solent: cf. Quintilianus V 10, 27 *rusticus, forensis, negotiator, miles, navigator, medicus aliud atque aliud efficiunt. Existimatio* usu Varroni non infrequenti tamquam persona infertur: ut in Lege Maenia fr. 5 *Metamelos, Inconstantiae filius* et in hac nostra satura fr. 46 *tertia Poenarum, Infamia. referat* denique sua primitiva vi accipiendum, *rursus ferat in numerum*, non ea qua *in numerum referre* non distat ab adnumerando.

Ad finem perduximus insani nostri fortunam, quantum e reliquiis dispicere licuit. Ac licet bona pars fragmentorum supersit, quorum nullam mentionem feci, tamen inde nihil aut non multum lucis ad hanc, quam primariam arbitror, saturae partem redundaturum existimo. Sed hoc utut est, videor mihi illa distributione paullo plus ad recte aestimandam memorabilem reliquiarum varietatem contulisse quam cum superiores tum Oehlerus, qui haec ei saturae praemisit: 'Tractat hac satura Stoicorum dogma ὅτι πάντες μωροὶ μαίνονται: quod Horatius quoque eleganter perstrinxit in Damasippo. *Eumenides* liber haud dubie ideo inscriptus est, quia hae deae hominum mentes furore implere putabantur.' In quibus quantumvis paucissimis quantum ille aberraverit, non est quod nunc persequar longius. Nec multo plus iis ad intellegendas saturae rationes proficitur, quae Prellerus olim in Oehleriani libri censura scripsit. E ceteris fragmentis, quae non tetigi, possum aliquot in singulas quasdam scaenas colligere, quae tamen quomodo aut inter se aut cum argumento primario cohaeserint, non dispicio: velut illa, quae praebitionem (fr. 4) aliquam cenae, ut puto, attineant (frr. 4. 6. 5. 9. 7), in qua dispensatio secundum certum ordinem facta esse videtur, ut eius narrationis similitudo quaedam cum dispensatione sportulae apud Iuvenalem I 101 quasi per tenebras agnoscatur. Sic alia quaedam fragmenta mutati vestitus habitusque scaenam referunt (frr. 12. 13. 14. 15). In quibus fr. 13 proclive erat intellegere leni mutatione bonum senarium prodire:

Partim venusta múliebri ornatús stola,

ornat enim libri. Quod Oehlerum non vidisse mirum non est, qui ne eos quidem, quos G. Hermannus in elementis d. m. p. 389 praeivit dimetros anapaesticos recipere ausus est: fr. 46

Tertia Poenarum Infamia stans
Nexa in vulgi [illegible]
Pectore, fluctatim intonsa coma
Sordida vestitu, ore severo.

In quibus *fluctatim* scripsi, ut Ribbeckius in Afranii versu 237: Hermannus *fluctuatim* reliquit, cum Nonii libris, in utroque versu. Prelleri *pectore fluitanti* displicet. Idem Oehlerus videat, quam metri peritiam hoc versu probarit fr. 45:

Sed
Nos simul atque in summam speculam pervenimus,

quem nemo nisi hebes non videt sic scriptum esse a Varrone:

Sed nós simul atque in súmmam speculam vénimus.

Sic iam Meinekius correxit, qui tamen casu, puto, non consulto *altam* posuit pro *summam*. Ut mittam alia in Oehlerianis castiganda, illud unum addo, fr. 3 *Cum in eo essem occupatus atque in schola curarer, ut scribit Scantius, horno per Dionysia*, perperam post Turnebum ab Oehlero coniungi *curarēr horno*, ut sit 'frugibus et vino ipsius anni foveri et ali'. Qui scire velim quomodo expediverint illud *in schola*. Quid multa? Imperfecta est sententia atque illa *horno per Dionysia* h. e. hoc anno per Dionysia *(heuer an den Dionysien)* sumpta sunt a Scantio, de quo nugatur Oehlerus. *Horno* autem adverbialiter et Plautus usus est (Mostell. 159 *horno messis magnast*) et eodem Nonii loco p. 121, 8 Lucilius: *utrum anno an horno te abstuleris a viro.*

Redeo ad enarratum saturae argumentum: in quo si quid veri tetigero, non improbabiliter cum Eumenidibus satura componi nunc e logistoricis potest ille cui inscribitur *Orestes de insania:* logistoricum dico non quem disertum aliquod testimonium, sed probabilis Ritschelii ratiocinatio logistoricum esse persuadeat. De cuius argumento opusculi absque titulo vix certius quicquam ex unico fragmento apud Gellium XIII 4 colligi potest (de quo fr. cf. Krahneri Varronis Curio p. 14): ac nescio quam iure ex Eumenidum argumento conclusio fiat de Oreste. Tamen tantum hanc valere cognationem quae vi-

deatur esse saturam inter et logistoricum arbitror, ut hoc novo argumento paullo certius de Furiis agitato Oreste iudicetur. Nec Ritschelium ipsum puto contradicturum, qui cum olim in ind. lect. Boun. hib. 1845—46 logistoricorum indicibus nonnisi cognomina Romana concessisset, postea in novo museo Rhen. VI p. 552 non tam artis finibus eorum titulorum rationes circumscripsit, ut non etiam mythica nomina reciperent. Cf. etiam quae Mercklinus de eadem quaestione scripsit in eodem museo XII 393 sq., cuius tamen rationi, cur aegre cum insania coniungi Romani alicuius nomen potuerit, equidem non tantum, quantum ipse voluit, attribuerim. Illa vero Eumenidum cum Oreste logistorico compositio inde nonnihil praesidii nanciscitur, quod aliarum quoque saturarum, si non argumenta, at tituli quidem cum logistoricis mirifice conspirant. Sic, quod non fugit Mercklinum l. c. p. 395, logistoricus, quem Probus testatur in Verg. Bucol. VI 31 p. 19 Keil., *Tubero de origine humana* congruit fere cum satura, quam tamen saturam esse nemo testatus est, Aborioines Περι Ανθρωπων Φυσεως. Addo logistoricum (Macrobio auctore Sat. III 14) *Marius de fortuna* conferendum cum satura Εχω Σε Περι Τυχης. Porro licet non ignorem quid intersit inter θεῶν ἀνάγνωσιν et cultum deorum, iuxta pono saturam Pseudulus Apollo Περι Θεων Αναγνωσεως et logistoricum, qui citatur *Curio de cultu deorum*. Denique modo certior sit Ritschelii coniectura (de disciplinarum libris p. 14), quae quam incerta esset ipse significavit, Περιπλου librum primum fuisse Περι Ιστοριας, quemadmodum alterum eiusdem saturae librum Nonius ter Περι Φιλοσοφιας citavit, huc referri possit e logistoricis *Sisenna vel de historia*. Sed sufficiunt priora, ut etiam ex hac parte non improbabiliter videar cum Eumenidibus composuisse *Orestem de insania*. Quae quidem augeretur nonnihil probabilitas, si liceret Eumenidum nomini addere alteram, qua argumentum graece efferretur, inscriptionem περὶ μανίας. In qua re non dubito, quin patronum nacturus sim Mercklinum: sed primum impedimento esse videtur Ritschelii opinatio (in novo museo Rhen. XII p. 152) de *pseudotragoediis*, quae nuper prodierunt, Varronis prolata. Etenim quo viriliter prorsus singulare nomen illustraret, ex saturarum quae vulgo

Pseudo... ...

creduntur titulis ascivit eos, quorum partem supra p. 168 sqq. composui, quo Varronem subinde e Graecorum tragoedia sua distinxisse opuscula affirmarem. Quorum cum nonnulla mera inscriptione aliquam cum tragoedia graeca affinitatem subindicent, in Eumenidibus etiam e reliquiis studui proferre quaedam, quae ad Aeschyleae tragoediae similitudinem instituta viderentur. Quae si fuerunt inter illas *pseudotragoedias*, aegre credibile est, id quod Ritschelius ipse indicat, nomini alteram quae argumentum indicaret inscriptionem in consortium additam fuisse. Attamen fateor me nihil argumenti repperisse, quo illam Ritschelii suspitionem aut confirmarem aut refellerem. In incerto autem dum hoc relinquo, nondum ilico alterum de duplici Eumenidum inscriptione mihi quidem certius evadit: quemadmodum, quod supra significavi, universa illa quam Mercklinus cum studio persecutus est de Menippearum titulis ratio multum abest, ut omni dubitatione exempta habeatur. Nec volo nec possum nunc hanc causam quae est de titulis saturarum deque internoscendis saturis et logistoricis plene pertractare, sed ne res per se satis lubrica ac perquam impedita improbabilibus vel falsis opinionibus etiam magis implicaretur, sequens pedetemptim Mercklini disputationem proferam breviter, quae probari in illis possint et quae meo quidem iudicio aut perquam ambigua aut reiectanea videantur.

Ergo primum omnes qui apud Oehlerum habentur saturarum Menippearum nonaginta septem numero titulos recensuit et in quinque genera distribuit, eorum qui integri duabus partibus constant, nomine vel proverbio sive graeco sive latino, et argumenti indiculo constanter graeco περὶ praepositione praemissa, deinde eorum, quorum aut prior tantum pars, sive nomen sive proverbium vel graecum vel latinum complexa, aut posterior tantum tradita est, sive ea graece argumentum indicans sive latine. Atque ab his postremis proficiscitur, quorum tria exempla extant, *de nomismatis*, *de officio mariti*, *de salute*, quae tam a more saturarum recedant, quam ad logistoricorum rationes proximo accedant. Quare ne quae de saturarum logistoricorumque discriminibus satis probabiliter composita sint, rursus diluantur, illos primum titulos profligare

studet. Atque quod Priscianus VI p. 684 P. *Varronem de nomismatis* citavit, pridem intellectum est eandem significari saturam, cuius duplicem ac congruam mori inscriptionem e Nonio novimus: Octogessis Περι Νομισματων. Nec tamen video cur cum Mercklino a Prisciano argumentum saturae indicari ac non potius latine expressam inscriptionem referri existimemus. De quo genere commutationis in palliatarum titulis Ritschelius disputavit in parergis Plautinis Terentianisque I p. 158, ubi quod inter Varroniana multa certa eius analogiae exempla extitisse adnotavit, ego e saturis certum unum praeterea novi vel duo, quae statim attingam. Etenim his Gellii verbis I 17, 4 *Varro in satura Menippea, quam de officio mariti scripsit* Mercklinus subtiliter eandem significari saturam perspexit, quam Nonius ter citavit non prorsus compari quidem modo, sed tamen ita ut de duobus titulis graecis dubitatio absit: p. 478, 3 *Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα περὶ γεγαμηκότων*, p. 526, 15 *περὶ τετανηκότων*, omisso proverbio, denique p. 399, 30 *E. ἡ λ. τ. π. περὶ καθηκόντων*. Ex ea triplici memoria Mercklinus perquam probabiliter *E. ἡ λ. τ. π. περὶ καθηκόντων τῶν γεγαμηκότων* tamquam primitivum eius saturae titulum elicuit: cui ex parte altera accurate respondent Gelliana *de officio mariti:* quamquam Gellium Mercklinus opinatur non tam inscriptionem referre quam argumentum indicare saturae voluisse. Addi poterat prorsus dignum Varrone videri illum depromptum de schola stoicorum indicem, qui satis notum est quae potissimum *τὰ καθήκοντα* appellaverint. Nec minus convenienter Gellium apparet Varronis *περὶ καθηκόντων τῶν γεγαμηκότων de officio mariti* convertisse quam Cicero *τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος* Panaetii (cf. ad Att. XVI 11, 4) *de officiis* appellavit: *Quod de inscriptione quaeris, non dubito quin καθῆκον officium sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior de officiis.* Cf. l. c. XVI 14, 3. Quo magis miror Mercklinum argumentum potius saturae a Gellio significari quam ab eodem conversam esse graecam inscriptionem maluisse. Nam licet, ita cum legatur *Varro in satura Menippea, quam de officio mariti scripsit*, non necessario consequens sit, Gellium afferre inscriptionem voluisse, mihi dum reliqua harum saturarum testi-

monia Gelliana (nolo enim nunc ad alias aliorum librorum inscriptiones expatiari) perlustro, ne credibile quidem videtur, eum *scripsit* potius quam *inscripsit* exhibuisse. Apponam Gellii locos omnes (pauci sunt), quibus aliquid de saturis Varronis delibavit: VI 16, 1 *M. Varro in satura, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit;* XV 19, 1 *M. Varro dicit in satura, quae inscribitur περὶ ἐδεσμάτων;* VII 5, 10 *satira M. Varronis, quae inscripta est δὶς παῖδες οἱ γέροντες;* III 18, 5 *M. autem Varro in satira Menippea, quae Ἱπποκύων inscripta est;* XIII 31, 3 *librum ex isdem saturis . . qui Ὑδροκύων inscriptus est;* XIX 8, 17 *in libro saturarum M. Varronis, qui inscriptus est Exdemeticus;* I 22, 4 *M. Varro in satira, quae inscripta est: nescis quid vesper vehat.* XIII 11, 1 *Liber est M. Varronis ex satiris Menippeis, qui inscribitur: nescis quid vesper serus vehat.* Horum exemplorum constantiam consideranti mihi quidem, nescio an etiam aliis, probabile videtur, illo quoque unde profecti sumus loco *inscripsit* esse Gellio restituendum: ubi si *scripsit* per se quidem, absque consuetudine scriptoris, ferri potest, id tamen, quod XIII 23, 4 in Hertzii, non item in Gronovii exemplo exhibetur: *M. Varro in satura quae scribitur Σκιομαχία*, omnino non videtur probari posse: vel si tamen tam hoc loco *scribitur* quam illo *scripsit* obtinebitur, ne sic quidem est quod illic Gellium argumentum saturae indicare, non afferre inscriptionem voluisse arbitremur: quando hoc quidem *satura quae scribitur Σκιομαχία* non potest nisi de inscriptione saturae intellegi: ut inscriptionem logistorici citari manifestum est his verbis XVII 18 *M. Varro . . in libro, quem scripsit Pius aut de pace*, ubi equidem aegre dubitaverim *inscripsit* reponere. Verum quidquid de iis scripturis, quas suadeo, indicabitur, tantum illo indubitato exemplo constat, Gellium non aliter atque Priscianum saturas Varronianas et uno attulisse indice, quarum duo etiamnunc extant, et quae Varro graece extulerit, ea latinis verbis expressa rettulisse. Atque Gellius cum nullius saturae duplicem titulum apposuerit, ceterarum non potest testimonio aliquo altera quoque inscriptio proferri, praeter *Σκιομαχίαν*, quam Nonius περὶ τύφου fuisse perhibuit. Nam quod XIII 29, 5 scribit, *ne plane fiat graecum*

illud de Varronis satura proverbium τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον, proverbio nititur, inscriptionem saturae non curavit: nec est profecto quod ea ex indice saturae sumpta existimemus, quem Nonius plene in hunc modum citavit: τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον περὶ εὐετηρίας: idemque proverbium Athenaeus affert IV p. 160, ut non necessario de indice saturae cogitasse videatur. Ita video quasdam locutiones proverbiales, e quibus Varro titulos saturarum petiit, etiam inter aliarum saturarum reliquias recurrere. Sic ὄνοι λύρας dicuntur in Testamento fr. 4: ibidemque quod est *Attio idem quod Titio ius esto* apparet in inscriptione saturae Idem Atti Quod Titi. Et quod in Flaxtabulis fr. 6 dicit: *quare, o Marce, pransum ac paratum esse te hoc minume oportet*, eandem locutionem saturae inscripsit Pransus Paratus. Porro Cave Canem cum vocaverit saturam, usus est eo dicto in Eumenidibus fr. 4. Quibus exemplis admoneor saturae quae est Mystagogi, quae cum uno Fulgentii perquam incerto testimonio nitatur, potest titulus effictus esse ex Andabatarum fr. 4 *Et me Iuppiter Olympiae, Minerva Athenis suis mystagogis vindicassent*. Sed hoc in transcursu. Venio ad tertium exemplum a Mercklino disceptatum, qui quod his Philargyri verbis ad Vergilii georgicon II 336 *Varro in satura quae scribitur de salute* non inscriptionem saturae, sed argumenti indiculum contineri arbitratur, ego ne de hoc quidem testimonio aliter sentio ac de illo Gelliano: nec enim quod Prisciano Gellioque singulis exemplis concessimus, ut graecam inscriptionem latinis verbis referret, non condonari Philargyro potest. Ut non improbabile sit, quod idem Mercklinus, non valde, ut mihi videtur, sibimet ipse constans, coniecit περὶ σωτηρίας olim inscriptum fuisse ei saturae, quam Philargyrus *de salute* citavit. Sed idem meo quidem iudicio longius deflectit a probabilitate, cum Philargyri testimonium ad aliquam e traditis saturarum inscriptionibus referre studet. Nam licet ea quam Philargyrus perhibuit sententia: *mundum haud natum esse neque mori* non aliena videatur ab argumento saturae quae est Κοσμοτορύνη Περὶ Φθορᾶς Κόσμου, tamen nec credibile est haec quae sunt περὶ φθορᾶς κόσμου a quoquam illis *de salute* elata esse, et maxime lubricum in polygraphia Varronis e sententiae ali-

cuius condicione definire librum velle, in quo facile locum habere potuerit: de cuius rei cautionibus exempla quaedam maxime apposita Ritschelius tetigit in novo museo Rhen. VI p. 514. Sic cum sententiarum cognationem sectamur, dictum illud non incommode referri potuit ad hanc saturam Dolium aut Seria, e qua magnifica *mundi* descriptio etiamnunc extat apud Probum in Vergilii bucolica 6, 31 p. 18 Keil. Ut conglutinatis titulis proditura sit inscriptio Dolium aut Seria Περι Σωτηριας: illa enim *dolium aut seria* in proverbialis vim locutionis accipi posse Mercklinus monet p. 397: cf. de eo titulo Krahnerus de Varronis philosophia p. 19 sq. Sed in promptu est altera de satura, cui illa sententia vindicetur, suspitio, cuius speciem quidem probabilitatis etiam maiorem esse iusto. Apponam, ut appareat quid rei sit integra Philargyri verba l. c. *Non alios prima: Si crescit, deficit: in quo videtur secutus Epicurum, qui ait: omnia quae orta occidunt et aucta senescunt. Varro autem in satura, quae [in]scribitur de salute: Sic mundum haud natum esse neque mori. Plato autem non natum aut (at) mori. Metrodorus autem neque nātum neque mori. Zenon ex hoc mundo quamvis aliqua intereant, tamen ipsum perpetuo manere, quia inhaereant ei elementa, e quibus generantur materiae, ut dixit crescere quidem, sed ad interitum non pervenire, manentibus elementis, a quibus revalescant.* Inde Oehlerus haec: *sic mundum haud natum esse neque mori* tamquam proprium fragmentum Varronis reliquiis adscripsit, simul cetera, quae ibi de Platone, Metrodoro, Zenone narrantur, e Varronis satura prompta esse suspicatus. Contradixit in ea, quam saepius dixi, censura Prellerus, qui pro *sic* reposito *ait* verbis illis non tam peculiare fragmentum Varronis quam summam totius saturae eius contineri arbitratur, nec illud largitur ceterorum quicquam esse e Varrone petitum. De *ait* mihi non persuasit: videtur enim *sic* vindicari posse ita verbis distributis: *Varro autem in satura, quae inscribitur de salute, sic: mundum* e. q. s., quemadmodum Probus in Vergilii bucolica 6, 31 p. 18 Keil. *eundem mundum et κόσμον dictum probat Varro in Cynicis, quam inscripsit Dolium aut Seria, sic: mundus domus est* e. q. s. Ceterum sententiam potius (quam-

quam non summam saturae) quam ipsa verba Varronis a Philargyro afferri, assentiet Prellero, qui propius totius loci conformationem aspexerit: nec de eo licet addubitare, quin e reliquis nihil redundet ad Varronem. Quid vero si etiamnunc recta oratione et plena extant ea verba, quorum Philargyrus sententiam tantum exhibuit? Nimirum Manii fragmentum (22) est a Nonio p. 183, 5 servatum: *nec natus est nec morietur, viget veget, ut pote plurimum:* quae de mundo dici videri ne Oehlerum quidem fugit, qui etiam illud De Salute fragmentum conferri iubet. Nonne est haec quam promisi species probabilitatis, ex hoc fragmento et ex hac igitur satura sua illa *de salute* citasse Philargyrum: et tamen absque eo fragmento fuisset, quis vel per somnium cogitasset, talem sententiam habitam fuisse in Manio? Nec vero iam vicisse causam videor mihi, nec pro certo vendito fuisse olim saturam Varronianam Manium Περὶ Σωτηρίας. Fragmenta quidem Manii a Mommseno pulchre ordinata dum perlustro, video commendari legum salubritatem, deorum cultum et pietatem suaderi, antiquae vitae Romanae simplicitatem, frugalitatem, hospitalitatem laudari, ut informare animo possis, eam saturam *περὶ σωτηρίας* inscriptam fuisse, qua Varro illas res ad hominum vitam civiumque societatem tamquam unice salutares praedicaret. Nec obstat, quod nulla Manium inter et *σωτηρίαν* intercedere ratio videatur: in qua re si quid nobis nunc obscurum est, poterat olim in integritate saturae planum ac perspicuum esse. Nimirum Varro saturas fere ita adornare solebat, ut narrationi lepidae ac colore prope scaenico tinctae disputationem intexeret eam, quae proprie argumentum saturae complecteretur. Sic potuit Manium aliquem, hoc est qui et ipse surgit mane et erigit alios, disputantem de eis, quae maxime ad salutem hominum conferrent, inducere. Aut quid periplus cum philosophia commune habet, nisi quod haec argumentum saturae, ille tractandi rationem significat: aut caprinum proelium cum *ἡδονῇ*, nisi quod titulo utrumque et materia disputationis et habitus ac forma narrationis indicandum fuit? At vero licet his et similibus adiuvare illam opinionem possis, potuit tamen, quo omnis haec suspitio nititur, eandem Varro senten-

tiam etiam in alia praeter Manium satura extulisse, potuit fere iisdem verbis, ut ex ea dictorum cognatione non confidentius etiam titulorum cohaerentiam collegerim. Et obstat auctoritas Nonii, a quo cum viginti duobus locis Manius citetur, ne semel quidem vel vestigium alterius inscriptionis reperitur: quae res quantum ad hanc causam valere videatur, infra persequar pluribus. Itaque non deceptus mei specio inventi in incerto hanc quaestionem relinquo, nisi quod illud nunc paullo certius apparet, Mercklini suspitionem longius vel a similitudine veri abesse.

Comitabor interim Mercklinum ad graecas inscriptiones eas devertentem, quae argumenti tantum saturarum indiculos complectuntur: περὶ αἱρέσεων; περὶ ἐδεσμάτων; περὶ ἐξαγωγῆς; περὶ κεραυνοῦ.

Ad Sesquiulixem dixi hunc indicem cum primo ex illis περὶ αἱρέσεων a Mercklino, qui Hertzium sequitur, copulari; ac curiosius eam, qua haec nititur suspitio, fragmentorum similitudinem persecutus concessi, potuisse ea uno eodemque olim sententiarum ambitu conexa fuisse. Sed tamen quominus confidentior in Mercklini partes pedibus irem, prohibuit idem, quod Hertzium adduxit ut modo editam coniecturam ilico rursus missam faceret: nempe cum male habebat, Nonium invicem eiusdem saturae nunc priorem tantum, nunc tantum posteriorem inscriptionem attulisse, hoc est, ut paullo accuratius dicam, eandem saturam duodetriginta locis sub Sesquiulixis nomine, tribus περὶ αἱρέσεων citari. Cuius quidem varietatis testandi Mercklinus alia in promptu esse exempla autumavit, nempe ea, quae ipse protulit, coniecturae probabilitatem, non certorum testium fidem secutus: eandemque varietatem adiecit multifariam explicatum habere in lacunosissimo grammatico, qualem nunc Nonium haberemus. Itane vero? undetriginta locis περὶ αἱρέσεων verba, tribus Sesquiulixis nomen lacunis absorpta putamus? Ne illum miserabiliter perforatum grammaticum nanciscimur, si unius de sexaginta circiter saturis inscriptio tot lacunarum suspitionem movet. At vero Mercklinus cum diceret de lacunis Nonii, cogitavit certe etiam de neglegentia eius grammatici, quam infra p. 391 sq. non sine ra-

tione accusavit. Enimvero constat, tam exemplaria Nonii, etiam quae optima habentur, cum omni genere corruptelae tum lacunis quoque non mediocriter laborare, quam grammaticum ipsum iuncta incuriae ac festinationi tarditate ingenii et stupore multa deliquisse. Ut si quid aliunde vel testimoniis vel firma ac stabili ratiocinatione constet, non ilico Nonii aliquo dissensu diluatur. Attamen quorum non alibi paratum est adiumentum fidei, ea, si etiam memoria Nonii obstat, non firmari arbitror tam generatim dictis, qualia illa sunt de lacunoso Nonio. In quo ut quid rei sit appareat, proficiscendum est ab iis titulis, qui pleni suis duabus partibus a Nonio perhibentur: debent etiam alii aliorum scriptorum tituli a Nonio citati asscisci, quos ego nunc, cum exhaurire hanc materiam nolim, mitto. Illos igitur titulos dum perlustro, tam paucula invenio vel Nonii vel descriptorum ac temporum vitio delicta, ut cavendum sit, ne iniuria aut lacera librorum condicio aut incuria Nonii condemnetur. Adscripsi infra primum eos titulos, quorum numquam non utraque pars inscriptionis perhibita est, addito quoties singuli a Nonio citentur, omissa tamen, quae huc non pertineat, scripturae discrepantia in verbis: *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας*, quinquies citatum; *Ἔχω σε περὶ τύχης*, quater; *Ἕως ποτὲ περὶ ὡρῶν*, bis; *Κοσμοτορύνη περὶ φθορᾶς κόσμου*, octies; *Μαρκόπολις περὶ ἀρχῆς*, quinquies; *Σκιαμαχία περὶ τύφου*, quater (quam saturam Gellius semel sub mero *Σκιομαχίας* nomine citavit XIII 22); *Τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον περὶ εὐετηρίας*, ter; *Συνέφηβος περὶ ἐμμονῆς*, quinquies; *Τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον περὶ παιδοποιΐας*, quater; *Aborigines περὶ ἀνθρώπων φύσεως*, quinquies; *Cycnus περὶ ταφῆς*, ter; *Desultorius περὶ τοῦ γράφειν*, bis; *Devicti περὶ φιλονικίας*, quater; *Epitaphiones* (?) *περὶ τάφων*, bis; *Flaxtabulae περὶ ἐπαρχιῶν*, sexies; *Inglorius περὶ φθόνου*, bis; *Mutuum muli scabunt περὶ χωρισμοῦ*, quater; *Papiapapae περὶ ἐγκωμίων*, quaterdecies; *Pseudulus Apollo περὶ θεῶν ἀναγνώσεως*, bis; *Serranus περὶ ἀρχαιρεσιῶν*, decies; *Testamentum περὶ διαθηκῶν*, ter (quam saturam idem Gellius unico testimonio simpliciter *Testamentum* vocavit III 16); *Tithonus περὶ γήρως*, sexies. Quibus accedunt singulis testimoniis allati tituli *Trifallus περὶ ἀρρενότητος* (quam sa-

turam Charisius sub uno Trifalli nomine laudavit p. 80 Keil.); *Columna Herculis* περὶ δόξης; *Vinalia* περὶ ἀφροδισίων. Ab hac vero constantia vide iam quam paucis exemplis nonnihil discessum sit: Ἀνθρωπόπολις περὶ γενεθλιακῆς sexies citata: semel π. γεν. desideratur; Ἑκατόμβη περὶ θυσιῶν octies citata: semel π. θυσιῶν desideratur; *Caprinum proelium* περὶ ἡδονῆς ter citata: semel π. ἡδονῆς desideratur. Satnrae *Est modus matulae* περὶ μέθης novem testimonia extant: tribus exemplis π. μέθης omissum; in quo tamen non neglegendum, cadere manca ea testimonia in unum idemque fragmentum, una eademqne pagina ter citatum. *Octogessis* περὶ νομισμάτων quinquies allata: bis in eodem fragmento π. νομ. omissa (de cuius saturae testimonio apud Priscianum *de nomismatis* supra dictum est). Addo, quamquam hanc rem non attingit, eandem saturam p. 513, 16 in hunc modnm citari: *Octogesi lib. I* περὶ νομισμάτων: in quo quid lateat, non assequor. Donique Εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα περὶ γεγαμηκότων ter allata (vide testimonia p. 193): semel omissum proverbium: ut, cum semel tantum inter tot exempla in hanc partem peccatum sit, appareat qnantulum probabilitatis habeat tribus locis, ubi περὶ αἱρέσεων citatur, Sesquiulixis nomen interiisse, vel sexies allatae saturae περὶ ἐξαγωγῆς priorem partem vel neglegentia Nonii vel mutilo librorum habitu desiderari. Illud levidense est quod saturae Τριοδίτης Τριπόλιος περὶ ἀρετῆς κτήσεως quinquies laudatae semel excidit *trifolio (trifilio)*: id quod componatur cum illis περὶ γεγαμηκότων testimoniis, quae supra posui. Itaquo iam apertum est, quam paullulum absit, ut Nonius iu iis titulis, quornm partes duae testimoniis exploratae sunt, ubivis constantiam sit secutus: quamquam ego non is sum, qui vel pauca ea, quae in hoc genere delicta sunt, unius Nonii culpae attribuam: potest unum alterumve descriptorum vitio vel communi librorum fortuna ortum esse. Nonii quidem ipsius cura potius quam incuria quo illustretur, non casu accidisse puto, quod cum *periplus lib. II* tribus locis (non pluribus citatur) addito περὶ φιλοσοφίας afferatur, eiusdem *periplu lib. I* item tribns testimoniis sine ullo additamento laudetur. Ut mihi quidem earum opinationum, quas Ritschelius de ea satura protulit de discipl. libris p. 15

(cf. novi musei Rhen. VI p. 539), postrema maxime arrideat, 'veram per varias terras peregrinationem periplum dictam simpliciter opponi et comparari tamquam itineri cuidam per philosophiam eiusque varias regiones facto.' Denique ut colligam quidquid adiuvare aliquo modo Nonii diligentiam possit, an etiam nunc singularem Nonii neglegentiam in eo agnoscemus, quod non dicam una eademque pagina sed in uno eodemque lemmate unam et alteram saturam cum suis duobus titulis, alias una inscriptione laudat, ubi tamen in proclivi erat, neglegentiam, si qua erat neglegentia, ob similitudinem vicinarum inscriptionum corrigere? Delibabo ex hoc genere pauca de plurimis: p. 83, 24 *Varro Est modus matulae περὶ μέθης — idem Sesquiulixe*: p. 82, 33 *Varro Columna Herculis περὶ δόξης — idem Marcipore*; p. 71, 13 *Varro Serrano περὶ ἀρχαιρεσιῶν — idem Quinquatrubus*; p. 28, 3 *Varro Prometheo lib. I — idem Flaxtabulis περὶ ἐπαρχιῶν — idem Parmenone — idem Sesquiulixe*, et sic sexcenties. Verum haec non ita disputo, ut quem vulgo neglegentissimum grammaticum habent, ego quovis socordiae vituperio purgare studeam: quem quidem ipse per hanc commentationem saepius incuriae ac stuporis accusavi. Sed sunt genera discernenda et singulatim persequenda, ut de quovis certius iudicetur: velut in allegandis saturarum titulis nunc non indiligentem Nonium et paullo etiam diligentiorem quam Gellium, Charisium, Priscianum invenimus, qui quae a Nonio plenae perhibeantur inscriptiones dimidiatas vel graece ab illo allatas latine conversas ascripserint. Nec de saturis peculiariter Ritschelius cogitavit, cum testandi titulos Varronianos fide Nonium longe superari a Prisciano monuit in novo museo Rhen. VI p. 535, quamquam ne ego quidem nimium tribuam ei testimonio Prisciani, quod supra tetigimus, *de nomismatis*. Attamen non iam feretur, opinor, si quis ad Mercklini sensum velut in Eumenidibus circiter quadraginta, in Bimarco et Sesquiulixe circa viginti quinque locis alteram inscriptionem vel Nonii culpa vel lacera exemplarium condicione interiisse putaverit. Immo ne hoc quidem nomine quicquam fidei habet, vel Bimarco *περὶ τρόπων*, vel *Ταφῇ Μενίππου περὶ σπουδαρχιῶν* singulis exemplis addita fuisse: quae res quas praeterea

dubitationes haberet, ad eas saturas exposui. Disputavi de Nonio, et quid eum probabile sit in hoc genere egisse: nihildum de ipso affirmavi Varrone, nec inde quod bona pars saturarum vel quae habentur saturae a Nonio constanter una inscriptione laudentur, ilico consectarium esse aio, numquam earum duplices inscriptiones extitisse. Sic fieri potuit ut saturae, quibus Varro suo more duos praefixisset titulos, sub alterutra tantum inscriptione in notitiam Nonii venirent, sive manco in ea re exemplo sive parum accurato usus est auctore. Nam hoc quoque video affirmari, nec Nonium nec ceterorum grammaticorum quemquam praeter Gellium ipsas Varronis saturas ante oculos habuisse, sed collectaneam superiorum grammaticorum materiam pro suo consilio compilasse. Ita Roeperus in animum induxit Philologi IX p. 225, argumentis quidem, quibus firmaretur haec ad omnem harum reliquiarum crisin efficacissima opinio, lectorem celatis: nec meum nunc esse puto, hunc locum qui est de propagatione librorum Varronianorum pertractare. Sive igitur Nonius ipse saturarum exemplum tractavit sive ex aliorum collectaneis sua testimonia petiit, aegre mihi persuadeo periisse memoriae culpa tot exemplis alteram saturarum inscriptionem, cum praesertim eam omnem de duplicibus saturarum titulis rationem ne numero quidem inscriptionum maiore firmari appareat: circiter triginta enim cum citentur inscriptiones duplices, duplo maiorem numerum simplices conficiunt indices: atque illas quidem cum etiam absque testimoniis probabilitas fidem faciat saturarum esse, hos cur mancos esse instemus, ne logistoricorum quidem, qua Mercklinus nititur, comparatione exigi concesserim. Verum enim vero forsitan consilii quid Nonius in eo secutus sit, quod certarum saturarum constanter duos titulos apposuit, bonam partem compari constantia uno indice citavit: in quo cogitaverit aliquis de brevitatis studio, cum earum saturarum, quarum longe plurima numero fragmenta perhibuit, Eumenidum, Bimarci, Manii, Modii, Sesquiulixis, Sexagessis, aliarum, nullam duabus titulis significavit. Quae tamen eo rursus diluitur opinio, quod etiam quarum paucissima fragmenta rettulit, unum tantummodo titulum apposuit. Quare cum ne hoc quidem explicandae illi

iunctae cum constantia diversitati testimoniorum sufficiat, eo deducimur, ut, si quidem saturae non potest non duplex inscriptio fuisse, bonam partem e numero saturarum quae vulgo habitae sunt secludendam censeamus. De pseudotragoediis, quae non facile duplicem ex hoc genere titulum ferebant, supra monui: atque una cum his licet quaedam inscriptiones non improbabiliter possint ad aliud genus librorum referri, tamen quominus omnes quae simplices tantum a Nonio traduntur inscriptiones a saturis procul habeamus, Gellii Pliniique auctoritas obstat, quorum hic in naturalis historiae praefatione § 24 satiras vocavit Sesculixem et Flextabulam: unde nescio quam probabiliter aliquis proficiscatur, ut eadem fide, qua Flaxtabulis addita περὶ ἐπαρχιῶν fuisse Nonii testimoniis constet, etiam Sesquiulixi graecum aliquem argumenti indiculum adiiciendum esse approbet. Gellius autem III 18 Ἱπποκύνα esse Menippeam testatur, quam Nonius quoque semel sed de alio fragmento, item hoc uno indice apposito, usus est. Reliquarum simplicium inscriptionum, quas ad saturas pertinere testimoniis constat, nulla apud Nonium occurrit. Sed ex Ἱπποκυνί exorsus, cum praesertim etiam Ὑδροκύνα idem Gellius XIII 31 Menippeam vocaverit, ob cognationem titulorum probabiliter Menippeis vindicaveris etiam Κυνίστορα, Κυνορήτορα, Κυνοδιδασκάλικον, sive fuit Κυνοδιδάσκαλος, Cynicum, denique Ταφὴν Μενίππου, quarum nullam saturam vel Menippeam esse quisquam testatus est. Ac Κυνοδιδάσκαλος rursus de Γεροντοδιδασκάλῳ fidem faciat, quemadmodum, cum de Sesquiulixe constet testimonio saturam fuisse, idem coniicias de Bimarco, si quid veri tetigero de ea ratione quae inter haec opuscula intercessisse videatur. Porro Bimarcus admonet Marciporis, et ascita inscriptione Μαρκόπολις περὶ ἀρχῆς, ne illas quidem addubitaveris saturas fuisse, quamquam non eo quoque valere eam cognationem concesserim, ut cum Μαρκόπολις habeat additum argumenti indiculum, ne Bimarcum quidem et Marciporem eo caruisse additamento credamus. Sic cum non testimonio quidem sed duplicis inscriptionis ratione inter saturas Octogessim περὶ νομισμάτων habeamus, probabile est etiam Sexagessim saturam, non item duabus inscriptioni-

bus insignitam fuisse. Eademqne ratiocinatione, qua saturas evincamus, nti licet cum in Quinquatrubns, quibus conferantnr Vinalia *περὶ ἀφροδισίων*, tum in *Πλουτοτορύνῃ*, quam Ritschelius restituit (parergon I p. 178), collata *Κοσμοτορύνῃ περὶ φθορᾶς κόσμου*. Quibus addi fortasse licet *Λογομαχίαν*, collatis et *Σκιαμαχίᾳ περὶ τύφου* et Caprino proelio *περὶ ἡδονῆς*. Ita cum bona pars simplicinm inscriptionum etiam absque testimoniis probabiliter saturis vindicetur, iam non est quod citatos a Nonio simplices titulos omnes a saturis removeri iubeamus. Nec magis in hac causa proficitur discrimine aliquo saturas inter et Menippeas: quod discrimen cum Hieronymi in librorum Varronianorum catalogo testimonia: *libri CL saturarum Menippearum*, *libri IV saturarum* suaderent (cf. Ritschelius novi musei Rhen. VI p. 493. 551 sq.), vanum esse Mercklinns evincere studet p. 337 sq., ita quidem, ut credendum videatur inter superstites titulos nullum esse, quem cnm fide e Menippeis secludas, ad saturas referas. At licet non nimium ei rei tribuendum videatur, quod grammatici modo Menippeam vel Cynicam modo saturam appellant, tamen mihi quidem de rei summa nondum videtur Mercklini disputatione actum esse. Quem locnm cum nnnc praetermitto, tamen hoc moneo, cum alia in ea parte dispntationis meo quidem sensu satis mire dicta esse, tum maxime illnd, quo contra Ritschelinm utitnr Mercklinus, absqne catalogo Hieronymi esset, neminem eas coniectnras prolaturum fuisse, quas Ritschelius ll. cc. iecisset. Profecto nec qnisquam alius nec Ritschelius de discrimine illo quaesivisset, nisi certissimum Hieronymi testimonium eo animum advertisset: immo absque eo recensu librorum Varronianorum fere certus sum bona parte earum de polygraphia Varroniana ratiocinationum, coniectnrarum, divinationum, quibus singulare Ritschelii ingenium explenduit, nos hodie destitutos fore. Sed estne haec sana ratiocinatio, si qnis quaerat, quid sine aliquo testimonio ant factum sit ant creditnm, ac non potius quid tum credi debeat, cum necopinato testis certissimae fidei accedat?

Percurri ut puto omnia, quae excogitari possint, ut illorum testimoniorum discrepantia Nonii aliqno modo explicetur:

qnibus videor mihi tantum effecisse, ut noudum sat fidenter credi illa, quam Mercklinus studiose commendavit, duplicium in saturis titulorum constantia possit. Pergam interim Mercklini conglutinandi titulos specimina disceptare. Bis a Gellio (VI 16, 1; XV 19) citatur satura περὶ ἐδεσμάτων, et ab eodem Gellio item bis (I 32, 4; XIII 11) affertur altera *Nescis quid vesper (serus) vehat.* Illam titulus indicat de exquisitis ciborum deliciis egisse, hanc Gellii testimonium affirmat de cultu habituque convivii fuisse. Quae quidem cognatio argumenti Mercklinum addnxit, ut eas non duas saturas sed duas tantum inscriptiones uuius saturae fuisse sibi persuaderet. Cuius suspitionis argumentum a leporis epitheto repetitum, quod cum utroque iudice Gellius coniungat (VI 16, 1 *M. Varro in satura, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, l e p i d e admodum et scite factis versibus cenarum exquisitas delicias comprehendit.* XIII 11, 1 *L e p i d i s s i m u s liber est M. Varronis ex saturis Menippeis, qui inscribitur: n e s c i s q u i d v e s p e r s e r u s v e h a t),* cum ipse nou multum iuvare coucedat, ego nihil valere affirmo, uec verum qnidem est, quod ait, laudem leporis, qua digna multa ex hoc genere opuscula Varronis fuerint, huic uni plene ac potissimum a Gellio tribui. Porro Varronem in ea satura, in qua disserebat 'de apto convivarum uumero deque ipsius convivii habitu cultuque' (sic euim argumentum saturae *nescis quid* e. q. s. Gellius definivit ibi, nbi totius saturae ambitum ac speciem non ita tenuibus lineis adumbravit XIII 11), non praetermisisse primam meusam cenaeque ipsius primarium apparatum tam naturae convenieus et perspicuum est, ut haec quidem res non eguerit Mercklini explicatione. Ac Gellium, posteaquam de 'bellis homunculis' ad convivium legendis deque sermonibus inter ceuam serendis praecepta Varroniana rettnlit, cum pergat § 6 *neque non de secundis quoque mensis* e. q. s., apertum est, ut grammaticum, omisso Varronianae saturae argumento ad explicaudam *bellaria* vocem properare. Atqui si Varro in hac satura tam primae quam secuudae mensae apparatum pertractavit, non potuit facile in altera peculiari satura receusum ἐδεσμάτων exhibere. Audio. At si illic omnis convivii cultus depictus erat, crediderim etiam potus

mentionem factam fuisse: et tamen scripsit Varro propriam saturam *περὶ μέθης* (Est Modus Matulae Περι Μεθης), et in Modio, cuius rei hodie in reliquiis certissima vestigia extant, tam ciborum luxuriem quam licentiam compotationum perstrinxit. Cf. p. 33. Itaque apparet, quid illa cognatio argumenti ad copulandos titulos valeat. Sed ne conveniunt quidem inter se conglutinatae illae inscriptionis partes, nec ita iunctae quadrant in saturam qualem e Gellii indiciis animo informare possumus. *Περὶ ἐδεσμάτων* inscribi saturae, in qua omnis convivii cultus habitusque exigebatur, ne tum quidem probabile est, si primae mensae enarratio et enumeratio edulium latissimum disputationis spatium expleverit: quasi Varroni, ingeniosissimo titulorum artifici, non in promptu fuisset vel *περὶ δείπνων* vel *περὶ συμποσίων* convenienter argumento indicem praefigere. Deinde quid proverbium *Nescis quid vesper serus vehat* ad *ἐδέσματα*? Persensit quidem in ea re quid positum esset incommodi Mercklinus, qui eam obscuritatem aliarum inscriptionum tenebris vindicatum ivit. At cum obscuritas quaedam de ratione partium inscriptionis in titulis, quorum ambae partes coniunctim traduntur, non eo nos adducere debeat, ut quas nunc pro lacero saturarum statu non plene percipiamus insano studio divellamus, tamen ex altera parte, nisi coniectura copulati indices facile ac commode coeant, parum consuli earum suspitionum probabilitati apertum est. Sunt vero in hac causa genera inscriptionum discernenda: ut nemo mihi nunc meam opinationem de *Manio περὶ σωτηρίας* obiiciat, cuius tamen rationem aliquam coniunctionis indicavi. Sic ego cum eos titulos, in quibus argumenti indicio praemissum est proverbium, percurro, videor mihi rationes omnium dispicere praeter unum *Ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας*, quo si quis illum *Nescis quid vesper serus vehat περὶ ἐδεσμάτων* firmare velit, videat quo iure improbabilem opinationem irrita correctione tueatur: qua de re dicam infra. Proverbium *nescis* e. q. s. ad convivium referendum esse, res ipsa indicat ac suam lucem habet e Gellii de eius saturae argumento indiciis: nempe cavetur illo, ne quid sero vesperi ex convivio sive per convivas sive locum sive tempus sive ipsum apparatum male collocato

turbarum vel rixarum vel nescio cuius periculi oriatur. Quae qnidem valde apposita ratio obscuratur ilico iuxta posita inscriptione περὶ ἐδεσμάτων. Ita cum illae inscriptiones segregari potius qnam copulari gestiant, etiam saturas ipsas valde sua conformatione diversas e Gellii testimoniis informare animo licet. Eius cui praefixnm proverbium erat, supra delineavi materiam Gellium secutus: nec magis in obscuro est species alterius de qua haec scribit Gellius VI 16, 1 sqq. *M. Varro in satura, quam περὶ ἐδεσμάτων inscripsit, lepide admodum et scite factis versibus cenarum exquisitas delicias comprehendit. nam pleraque id genus, quae elluones isti terra et mari conquirunt, exposuit inclusitque in numeros senarios. et ipsos quidem versus, cui otium erit, in libro, quo dixi, positos legat: genera autem nominaque edulium et domicilia ciborum omnibus aliis praestantia, quae profunda ingluvies vestigavit, quae Varro obprobrans executus est, haec sunt ferme, quantum nobis memoriae est: pavus e Samo, Phrygia attagena, grues Melicae* e. q. s. Cui his non in mentem vocantur Ennii Hedyphagetica, quorum apposite Oehlerus mentionem fecit, vel Catius Horatianus (sat. II 4), quem fuit qui ex opusculo Varronis colores duxisse opinaretur: cf. Teuffelii comm. p. 121: a Catio autem quantum distat eiusdem Horatii cena Nasidieni (II 8), tantum fere a satura περὶ ἐδεσμάτων discrepasse illam putaverim cui *Nescis* e. q. s. inscripta fuerunt. Ita nescio an non mihi tantum videar paullo plura et graviora, quibus earum diversitas saturarum evincatur, protulisse, quam a Mercklino in contrariam sententiam allata sunt: quod vero primarium illius opinionis impedimentum est, Gellii dico duplicia testimonia, id quidem paullo expeditiore, ut mihi videtur, pede Mercklinus transiluit. Etenim Gellius nullam quidem saturarum suis duobus titulis citavit, sed ut non fuerit tam accuratus ac diligens in allegandis scriptoribus, quam visus est Ritschelio (in novo museo Rhen. VI p. 517; cf. Mercklinus l. c. p. 378), tamen hoc aegre mihi persuadeo eundem Gellium eiusdem saturae bis priorem bis alteram inscriptionem citavisse. Sed quid fiet, inquies, simplicibus istis titulis? Respondeo potuisse fieri ut suum utrique additamentum Gellii culpa desideraretur.

Mnlto etiam infelicius, si quid sentio, illud a Mercklino excogitatum est, Sexagessim et περὶ ἐξαγωγῆς ad eandem saturam pertinere. Nonio debentur utriusque indicis testimonia. De indole eius saturae, quae fuit περὶ ἐξαγωγῆς, quamquam in singulis quibusdam dissentio, in universum non imperite Mercerus disputavit ad Nonium p. 745: 'disputatio omnis Varronis in hoc libro de causis abeundi ex hac vita: in iis de communi illa passimque usurpata veteribus, qui victi ne victoribus ludibrio essent praeoptabant mortem, idque cum laude. Plena exemplorum omnia. Et ad hanc causam exemplum Annibalis (fr. 1)' e. q. s. Nempe inscriptio indicat, hac satura Varronem stoicorum decretum περὶ εὐλόγου ἐξαγωγῆς pertractasse, cuius decreti vim non est quod nunc pluribus persequar. Alterius autem saturae, quae Sexagessis vocatur, speciem e reliquiis Mommsenus egregie recuperavit hist. Rom. III 564. Semet ipsum enim Varro tamquam alterum Epimenidem inducit, qui posteaquam alicubi per quinquaginta annos obdormivit, Romam reversus omnia, quae tunc reliquit, conversa et permutata offendit: e prisca ac laudabili quovis nomine Urbe nova prodiit omni genere depravationis infamis. Itaque ille suas querellas non continet, ecquid revocare patriam ab imminenti exitio contingat; sed graviter increpans repellitur ab iis, quorum vitio ea facta commutatio rerum est, ac denique quo molestus iste interpellator et ineptus laudator temporis acti removeatur, sexagenarium secundum antiquum morem Romanum de ponte in Tiberim deturbant. Ita cum fere terminus eius saturae ac consilium primarium dispiciatur, in proclivi est lepidissimi opusculi totum decursum per suas partes menti rursus informare. Cum hac igitur satura coniungi Mercklinus alteram illam περὶ ἐξαγωγῆς iubet, quando illum exitum e vita, quo se Varro Epimenideus usum simulavit, unicum e pluribus non naturalis mortis generibus Varroni credibile sit non improbatum fuisse. Esto: quamquam non tam intellego cur credam, quam cur non credam video. Sed consideremus, qualis iam e conglutinatis tam reliquiis quam indicibus satura prodeat. Ergo deturbato de ponte sexagenario Varrone nescio quis e stoicorum sensu de vitae finiendae rationibus disputavit ita quidem,

ut ex illius in Tiberim praecipitati fortuna proficisceretur eumque exitus e vita modum praeter ceteros probaret. An Varronem ipsum, qui quidem in superioribus saturae partibus aperte de semet ipso narravit, in inferis putamus pertexuisse de necis generibus disputationem? Utrum eorum probaris, diluitur concinne composita Sexagessis species. Quid enim quaeso illa deturbatio de ponte ad ἐξαγωγὴν stoicorum? Horum enim decreta voluntariae mortis genera et consilia attinebant (eodemque ducunt fragmenta περὶ ἐξαγωγῆς citata): illa vero necis aliunde ἄκοντι illatae modum refert, ut ineptientem utique Varronem nanciscamur, qui ex ea suspensam esse de voluntario exitu stoicorum disputationem voluerit. Itaque nec conexus Sexagessin inter et ἐξαγωγὴν apparet ullus, et pessumdantur ea conglutinandi ratione cum alia belle adornata in illa satura, tum maxime acumen eius inventi, quo Varro expromptis omnibus de converso funditus Urbis statu querelis se tamquam inutilem senem de ponte praecipitari fingit. Cuius acuminis vim subtiliter Mommsenus percepit, qui haec suae eius saturae restaurationi subiecit: *Die Skizze gleicht der catilinarischen Zeit, kurz nach welcher sie der alte Mann geschrieben haben muss, und es lag eine Wahrheit in der bittern Schlusswendung, wo der Marcus, gehörig ausgescholten wegen seiner unzeitgemässen Anklagen und antiquarischen Reminiscenzen, mit parodischer Anwendung einer uralten römischen Sitte, als unnützer Greis auf die Brücke geschleppt und in die Tiber gestürzt wird. Es war allerdings für solche Männer in Rom kein Platz mehr.* Sed Mercklinus ut haec non videtur satis considerasse, ita ne somni quidem Epimenidei, quas verbo Mommsenus significavit, rationes assecutus est: ut qui cum somnum illum Epimenidis vel similem, ut dicit, Varronis ipsius, tum ea quae ingeniose Mommsenus ordinavit fragmenta omnia in prooemio saturae posita fuisse arbitretur: quasi ea, quibus Varro tam praesentis temporis in omni genere depravationem conqueritur, quam pristinae aetatis incorruptos mores et salubria instituta praedicat, non sufficerent ad explendam saturam etiam satis prolixam, aut quasi hoc quod significo tam parum idoneum esset Varronianae saturae consilium, ut etiam alia et aliena circum-

spici oporteret. Immo Varronem, cum antiquitatis mores vitiis praesentibus opponeret, non ita parcum verborum e locupletissimo, quem domi habebat, universae antiquitatis Romanae penu quorum aliquis usus esse posset, hausisse, ipsum hoc e Sexagessi fragmentum, quod p. 110 tetigi, disertius prodit (16) *Erras, inquit, Marce, accusare nos, ruminaris antiquitates.* Ita undique confluunt, quibus distinctissime secludi a Sexagessi iubeatur ἐξαγωγή: unum quod Mercklinus suae opinationis argumentum insuper addidit, nollem a docto viro adhibitum, illud quod e saturae Περι Εξαγωγης fr. 6 repetiit: *Quam sympathian lumbi ad oculos haberent? quid magnum interesset, puerum utrum essem devirginatum usurus, an* μονογέροντας, *pueros dum cogito?* Sic enim μονογέροντας Oehlero quidem 'sine omni dubitatione legendum videbatur esse', ac probavit eam scripturam olim ei, quem Mercklinus laudat, Hertzio, quem putaverim hodie nec illam nec alias quasdam tum quidem laudatas emendationes, si dis placet, Oehlerianas probaturum. Ego de hoc loco, quem misere depravatum libri (Non. p. 458, 25) offerunt in hunc modum: *an monucepωcac*, meum facio illud Scaligeri: 'quid voluerit Varro nescio, quid noluerit scio.' Sed ut germanum sit illud, quod ne probabile quidem esse concedo, inde sexagenariorum vestigium aucupari, hoc est, ut verum fatear, nugari.

Quodsi Sexagessis non poterit cum his περὶ ἐξαγωγῆς copulari, non magis altera, quam tetigit Mercklinus, ratio, ut his π. ἐξ. praemittatur titulus *Longe fugit qui suos fugit*, quo adiuvetur dispicio, nisi quod unum sub hoc titulo allatum fragmentum stoicorum paradoxon tangit. Nihil dicam porro de titulo περὶ κεραυνοῦ deque hoc Δὶς παῖδες οἱ γέροντες, quem cum Prometheo coniungi dubitanter Roeperus suasit, sed pergam per ingratam mihi et taediosam refutandi operam ad tertium Mercklinianae disputationis capitulum, quo ad traditas priores inscriptionum partes studet alteras anquirere, quibus argumentum graece significetur. Ac per se quidem non improbabiliter *Meleagris* fuisse περὶ θήρας in consortium addita coniecit. Cuius generis alia, ab ea profectus suspitione, per huius commentationis opportunitatem protuli complura, quibus non mi-

nore probabilitate adiicere licet *Lex Maenia* περὶ εὐσεβείας; *Quinquatrus* περὶ ἰατρικῆς, alia. Sed haec nec ante dissimulavi nec nunc celo nisi stabilita firmius universa de duplicibus titulis ratione stare non posse. De *Bimarco* περὶ τρόπων et Ταφῇ Μενίππου περὶ σπουδαρχιῶν non est nunc quod adiiciam iis, quibus ad eas saturas haec Mercklini conglutinandi conamina examinavi. Neque melius de Σεραπαρήκτῃ suam mihi opinionem probavit: nisi quod nomen illud ex Oehleri machina profectum me non magis quam Hertzium Mercklinumque patronum habet. Nonius p. 104, 27 sic scribit: '*Expulsim' dictum a frequenti pulsu. Varro* S e r a p a r e c t e: '*purgatum scito, quam (quum* Iunius) *videbis Romae in foro ante ianienas (lanienas* Turnebus) *pueros pila expulsim ludere.* Inde Hertzius collato hoc eiusdem Nonii loco p. 67, 11 '*Parectatoe' hi, qui de pueritia veniunt ad pubertatem: a graeco vocabulo sumptum. Lucilius lib. VIIII 'inde parectatoe chlamydes ac barbula prima'. Idem vicesimo: 'tuum efoebum quemdam quem vocant parectaton.' Varro de compositione saturarum: 'parectatae adsunt, mulierque mulier Venus caput'*, hoc igitur comparato testimonio Hertzius illi saturae hunc indicem *Sero parectatoe* restituendum coniecit. Fateor me antequam Hertzii censuram cognovi in eandem suspitionem incidisse: quod nunc ne commemorarem quidem, nisi hunc consensum putarem aliquid valere contra dissensum Mercklini. Qui quod sibi partim latinam partim graecam inscriptionem displicere dicit, non video cur Varro eam vocem, quam in illo fragmento mediis verbis latinis immiscuit, non eadem ratione usurpare in inscriptione potuerit. Sed tamen ne quid dissimulem, non habeo equidem qui illam meam Hertziique correctionem confirmem quam quod et facile prodit e corruptela et adhibitam alibi a Varrone vocem nanciscimur. At cum illius inventi non adeo tenax sim, nihilo tamen probabilius existimo Mercklini commentum: *Serano: Recte purgatum scito* e. q. s., ut hoc novum fragmentum ad Serranum Περὶ Ἀρχαιρεσιῶν accedat. Nec enim comparem in ea emendatione lenitatem agnosco, et *recte* ad verba Varronis relatum mihi quidem valde displicet.

Tantum est quod Mercklini copulandi titulos studiis ef-

fectum videatur. In proximis quasdam e duplicibus quae traditae sunt inscriptionibus attingit, quo aut explicet aut emendatius scribat. Atque quod huic titulo ἄμμον μετρεῖς περὶ φιλαργυρίας propter scripturae discrepantiam parum se fidere profitetur, cum praesertim in pauculis fragmentis vix vestigium φιλαργυρίας appareat, nec tam incertam esse alteram quidem inscriptionem quae est περὶ φιλαργυρίας nec nullum φιλαργυρίας vestigium adesse affirmo: quamquam ne id quidem nimis mirum videri debet, in tam paucis reliquiis nihil eius rei apparere, quam referat inscriptio. Sed in hac quidem satura fr. 3 commode videtur ad ipsam quae est in indice φιλαργυρίαν referri: *Etenim quibus seges praebeat domum, escam, potionem, quid desideremus?* De indice autem ipso quo certius indicetur, apponam testimonia Nonii:

p. 117, 13 AMOYMEMEIO ΠEPI ΦIΛAPTYPAN
p. 179, 10 ΛΛΛOYMEΛΛEICPEPIΛO
p. 395, 30 AMOIMEMEIC ΠEPI ΦIΛAPΓYPIA
p. 552, 29 AMOYMENEICE ΠEPI MAPTYPIAC
p. 553, 10 AMOYMEMEIC ΠEPI MAPTYPIAC
AMOY MENEI E ΠEPI MAPTYPIAC Leid. m. alt.
AMOMENFICEΠEPYMAPTYPIAC Bamb.

E quibus testimoniis primum etiam per satis graves corruptelas unius et eiusdem saturae inscriptio agnoscitur: nam licet bis positum περὶ μαρτυρίας alio nos ducere videatur quam ad φιλαργυρίαν, quae item duobus testimoniis constat, tamen priorem partem inscriptionis apparet omnibus locis in antiquo codice hanc speciem habuisse, AMOYMEMEIC, unde discrepantiae tenuiores, quas nunc libri offerunt, sua sponte fluxerunt. In illa autem forma priusquam attingo quid latere videatur, ne temere vagetur coniectura, prius de altera parte indicis disputandum: qua mihi persuadeo nihil aliud quam vulgatum περὶ φιλαργυρίας contineri, quippe e quo reliqua omnia facile explicatum habeant. Sic quod longissime recedere videtur PEPIΛO non dubito quin olim hac forma ΠE[PI ΦIΛAPΓY]PIAC habitum fuerit: nempe propter iteratam PI syllabam mediis absorptis, quae restabant ΠEPIΛC ultro eam quae nunc in libris habetur speciem induebant. Nec multum disparem corruptelae viam in

his agnosco περὶ μαρτυρίας: etenim cum φι syllabam vicinus exitus ΠΕΡΙ praepositionis detrivisset, superstites litterae ΛΑΡ-ΤΥΡΙΑϹ in tam frequenti Λ et Μ, Γ et Τ permutatione fere non poterant non in ΜΑΡΤΥΡΙΑϹ abire. Neque post ea, quae p. 172 de Nonii etiam in manifestissimis vitiis constantia monui, haerendum in eo quod μαρτυρίας bis ab exemplaribus Nonii offertur. Ergo de φιλαργυρίᾳ cum constet, in illo ΑΜΟΥΜΕΜΕΙϹ quaerendum sive nomen sive proverbium, quod apte coniungi cum φιλαργυρίᾳ possit. Id quod nego de Iunii commento ἄμμον μετρεῖς, quod Oehlerus tuetur: de cuius proverbii usu a φιλαργυρίᾳ alieno cf. paroemiographorum corpus Gottingense I p. 27 II p. 7. Nec multo probabiliorem esse Rothii coniecturam ἀμοῦ μενεῖς fateor, cuius proverbii praeterea testem desidero. Paullo melius in φιλαργυρίαν quadrare Turnebi (Adv. XXIX 2) inventum videtur ἄλλοις μέλεις, quamquam ne hoc quidem quo firmetur testimonium mihi in promptu est. Tituli igitur cum nondum possim utramque partem integram praestare, liceat in transcursu eius saturae fr. 1, cui maxime Oehleri socordia obfuit, emendatius scribere; fragmentum enim, quod ille in hunc modum expressit: *Nos barbari, quod innocentes in gabalum suffigimus: vos non barbari, qui noxios consuestis?* ita tradunt libri Nonii p. 117, 13: *nos barbari . . . suffigimus homines; vos non b. quid noxios obuestis? homines* omisit Oehleri incuria, qui praeterea cum in adnotatione ter *non* scribit pro *noxios*, neglegentia fallit lectores. Pro *quid* ambiguum est utrum cum Iunio *quod* an cum Rothio reponatur *qui*. *obuestis* cum Oehlerus corrigeret in *consuestis*, sententiam corrupit: quam Mercerus tetigerat *solvistis* reposito, nisi quod paullo concinnius *solvitis* praesens futurum erat. Germanam scripturam eandemque simplicissimam *absolvitis* Iunius repperit: qua recepta et pone *homines* inserta *et* particula duo octonarii iambici prodeunt:

Nos bárbari, quod innocentes in gabalum suffigimus
Hominés? et vos non bárbari, qui nóxios absólvitis?

Redeo ad indices saturarum. Inscriptionem Τριοδίτης τριπόλιος περὶ ἀρετῆς κτήσεως, de cuius veritate addubitare Mercklinus videtur, puto Mercerum non improbabiliter explicuisse ad

Nonii p. 4, 14: 'Argumentum libri, virtus a natura an διδακτός. Videtur docuisse ad eam perficiendam tria quaeri, naturam primo, dein doctrinam, quae illam informet — —, postremo usum et exercitationem, qui utramque perficiat. — Hinc titulus libri Trihodite trifolio, an tripylio: quia tribus viis, tribus portis pervenitur ad virtutem.' Nempe Τριοδίτης τριπύλιος, non τριπόλιος, quod Oehlerus obtinet, ei saturae inscribendum est. Oehlerus quidem quibus illam inscriptionem explicuit, 'Τριοδίτης autem τριπόλιος Varronis, ni fallor, est homo dictus, qui nullo artium virtutumve genere antea institutus postquam in triviis semel consenuit atque incanuit, illis non amplius potest assuesci', ea si quid omnino sani contineant, nec in indicem quadrant nec reliquiis adiuvantur. Ceterum mihi non persuasit Krahnerus de Varronis philosophia p. 6 alteram partem inscriptionis fuisse περὶ ἀρετῆς καὶ φύσεως a Popma ex Aldina receptum: mihi haec scripturae discrepantia ΠΕΡΙ [illegible]ΗC ΚΙΤΗCΕѠC, ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗCΕѠC (ter), ΠΕΡΙ ΑΡΕΤΗC ΚΑΙΗCΕѠC commendare potius Merceri coniecturam περὶ ἀρετῆς κτήσεως videtur.

Devenio ad *Desultorium* περὶ τοῦ γράφειν quod vulgatur: in quo offendit Mercklinum praeter consuetudinem reliquorum titulorum infinitivo argumentum saturae expressum esse, nec adhibitum articulum mori in his indicibus Varroniano convenire: quasi haec duo essent argumenta atque Varro, cum infinitivo uteretur, potuisset etiam sine articulo περὶ γράφειν scribere. Sed ne infinitivum quidem ipsum, quantumvis singularem inter traditos titulos, ita alienum iudicarim, ut ideo certa memoria relinquenda sit: sic inter Plutarchi scripta moralia quae vocantur libellus est περὶ τοῦ ἀκούειν. Verum praeterea obscura ratio est ea quae desultorium inter et τὸ γράφειν intercedat: neque ego dicere possum, quam probabilis sit Oehleri suspitio desultorii nomine Varronem significare 'suum ipsius ingenium in saturis componendis expeditum illud ac semper paratum, non solum de quavis materia proposita disputare, sed etiam ipsum dicendi genus variare et quasi desultorum more a pedestri oratione in versus ac poëmata transilire.' Varronem videri in his opusculis etiam suum componendi saturas artificium tetigisse ad Bimarcum monui: nec absona

translata illa desultorii significatio, quam vocem notum est ad prorsus diversa genera transferri. Sic illis Mercklini argumentis nondum eam tituli formam profligatam arbitror. At vero memoria ipsa incerta est: exemplaria Nonii p. 503, 22 ΠΕΡΙ ΤΟΥ ΤΡΑΦΕΙΝ, p. 534, 22 exhibent ΠΕΡΙ ΤΥ ΡΑΦΕΙΝ: unde cum alii alia elicuissent, illud Iunii inventum περὶ τοῦ γράφειν quam potest proxime ad litterarum similitudinem accedit: a qua paullo longius recedit Mercklini coniectura περὶ πειρατῶν. Quamquam non inepte desultorii nomen ad piratas transferri Mercklinus probavit. Sed cum eius suspitionis praesidium etiam in duabus quae afferuntur reliquiis paratum esse arbitratur, alterum, quod Roeperus probabiliter ut puto Sotadeis descripsit,

'Alius dominí deliciás faselon áptum
'E tonsilla á litore móbile in fluéntum
Sólvit,

de quovis [illegible] non deterius quam de piratis intelligitur: prius autem

Fervere piratis vastarique omnia circum

cum contineat piratarum significationem, lubricum est ex tam tenui vestigio velle totius saturae argumentum definire. Attamen eam rem visum est Mercklino commode testimonium adiuvare, quo Varronem egisse in saturis de piratis deque sacrilegiis piratarum confirmetur. Arnobii verba sunt, quae Mercklinus attulit, adv. nat. VI 23: *Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque praedonibus et spoliatus ita est et incensus, ut ex tot auri ponderibus, quae infinita congesserant saecula, ne unum quidem habuerit scrupulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit Menippeus, ostenderet.* In quibus quod Varro Menippeus (h. e. ut fere accipiunt Varro in saturis Menippeis: sed cf. Krahneri de Varronis philosophia p. 9) citatur, id cum Popma et Oehlerus ad omnem illam Arnobii memoriam referre videantur, ego dum propius verba inspicio, Arnobium e Varrone nihil nisi hirundinum hospitarum mentionem petiisse mihi persuadeo: nec aliter Krahnerum iudicare video (Varronis Curio de cultu deorum p. 20), qui ab Augustino de musica IV 15 t. I p. 354 sine auctore laudata verba *Ver blandum viget arvis, adest hospes hirundo* Arnobio, cum illa de hirundinibus

hospitis scriberet, versata ob oculos esse valde probabiliter suspicatur. Cui cum in ea re adstipuletur Mercklinus, miror eundem eo Arnobii testimonio uti, quo in saturis Varronianis de piratis disputatum fuisse convincat. Itaque corruit et hoc indicis illius περὶ πειρατῶν praesidium, et alia quae illi testimonio superstruxit complura. Nec tamen cum piratas relinquam, obstinatus obtineo vulgatam inscriptionis formam περὶ τοῦ γράφειν: immo si licet in re incerta ludere coniectura, desultorium malim non in translatam aliquam, sed in propriam vim vocis de eo accipere 'traicit alterno qui leve pondus equo', cui ex altera parte respondeat inscriptio περὶ ἱπποτρόφων, ne ea quidem ab exemplarium memoria nimis aliena. Ut Varro quemadmodum in Meleagris venandi licentiam, ita in hac satura nimia rei equariae studia persectatus sit. Attamen circumspicienti mihi nihil quo eam stabiliam aut confirmem coniecturam occurrit.

De *Gloria* περὶ φθόνου meam exprompsi sententiam p. 4 sq. Reliquos titulos, quos Mercklinus praeterea tetigit, nolo nunc curiosius persequi: neque ad logistoricos exspatiari licet, de quibus hoc tantum moneo, mihi valde probari quod peracute Mercklinus intellexit *Tanaquilis* nomen non fuisse, quod vulgo credebatur, saturae inscriptum, sed pertinere ad logistoricum eum, qui fuit *de pudicitia*. Cui rei non obstat, quod unicum sub Tanaquilis nomine citatum fragmentum p. 73 suis numeris vindicavi: quando ne a logistoricis quidem versus omnino alienos fuisse iam credendum est. Quamquam cum Mercklinus iure dicat *Agathonem* et *Parmenonem* posse aeque bene logistoricis quam saturis attribui, paullo tamen puto probabilius ad saturas referri, cum utriusque opusculi tantum non omnia fragmenta numeris fuerint conclusa. Nam cum non abdico a logistoricis metra, tamen in iis tam prosae orationis usum quam in saturis praevaluisse versus mihi persuadeo: ut quae suo genere discreta fuerint opuscula, etiam ipsius specie orationis discrepantiam prae se tulisse videantur.

Itaque relinquo nunc locum difficillimum, qui est de saturarum titulis deque saturis logistoricisque internoscendis: ad quem locum velim post eas quas protuli dubitationes secundis

curis redeat aliquando Mercklinus, ut 'viribus unitis' etiam in hac causa denique veritas, quoad eius fieri possit, investigetur.

Sed quo emergat tandem animus ac recreetur ex incertissimi successus et maxime lubricis quaestionibus, liceat mihi tamquam epimetrum huic commentationi emendationes quasdam meas in his Varronis reliquiis factas adiicere, quibus videor mihi, spero etiam aliis, aut verum aut quod maxime probabile sit assecutus esse. Earum primam e Mysteriis petam, cuius saturae fr. 6 ita habetur apud Oehlerum: *Init virgo, dos a femina ut auferatur, quae mihi postcaquam ad concordiam dicta est —*. Quam scripturam, non illam quidem ex exemplaribus Nonii petitam, cum editor ipse supersederit explicare ac viriliter firmare, nescio an ego debeam pluribus refellere. Nam licet Nonii culpa abrupta sit sententia, tamen non multum fidei habere emendatio potest, nisi animo fere integritatem sententiae informare possis: id quod vereor ne in illa conformatione nemini contingat. Sed apponam Nonii testimonium p. 280, 29 '*Dicere' etiam promittere — — Varro Mysteriis: 'in id virgo, dos a femina ut auferatur, quae'* e. q. s. Commentum Popmae *in id iurgo, dos* non magis placet quam ea, qua vulgatam scripturam firmatum ivit, explicatio: 'Eam ob rem virgo ducitur, ut, postquam in viri manus venit, insimulata flagitii aut criminis alicuius, dos ab illa auferatur.' Et *Concordiam* quod suadet ad saturam Τὸυ Πατρὸς τὸ Παιδίον, quia signum Concordiae prope aquam Appiam fuerit, ubi coniugum iurgia disceptabantur, speciosius est quam verius. Repono: *inquit iuro, dos a femina ut auferatur. quae mihi posteaquam ad concordiam dicta est —*. Iam priora illa non minus abrupta, quam posteriora: illorum sententiam ita fere licet redintegrare: *Quod si non fiet, fore, inquit, iuro, dos a femina ut auferatur.* Deinceps is qui illa retulit a novo exorsus enuntiato pergit: *Quae mihi posteaquam ad concordiam promissa est.* Haec sumpta esse apparet e iurgiis inter amatorem, repulsum ut videtur, et nuptam: certe eo nos deducunt etiam alia quaedam eiusdem saturae fragmenta: velut hoc non obscurum est fr. 5 *Sed tibi fortasse alius molit et depsit* ab indignabundo amatore in nuptam, quae illum remiserit, iaci. Iam sententiam cum recuperavi, ea, quae

mutavi, quo illa constaret, firmabo: ac *iuro* quod reposui pro *uirgo* nescio an nulla indigeat excusatione. *inquit* autem quod clicni ex his *in id*, reminiscendum est quod p. 29 tetigi, cum alibi tum apud Nonium saepius pro *t* finali exhiberi *d*. Sic *inquid* est apud Nonium p. 226, 19; *amad* p. 13, 2; *reliquid* p. 141, 24, alia id genus plura. Nec haerebit, opinor, quisquam in eo quod *qid* abierit in *id:* sic fere non dubito quin Mutuum Muli Scabunt fr. 2 *ecquid* reponendum sit pro *et id:* modo possim *aestate* certissime depravatum reparare. Legi et intellegi quidem haec possunt: *Itaque si plures dies inter medicorum discessum et adventum pollictoris interfuerunt, ecquid restet, videas.* Oehlerus quomodo quae edidit *interfuerunt, et id aestate videas* explicuerit, legatur apud ipsum. Redeo illuc: etenim quo non semel in his reliquiis firmari aut adiuvari emendationem expertus sum, id in hoc quoque fragmento commode accidit, ut perfecta emendatione numeri appareant, quos ita refingas:

Ínquit, iuro, ut dós a femina aúferatur. quaé mihi
Pósteaquam dicta est ad concórdiam

Deinde corrigam, si potero, Serrani Περὶ Αρχαιρεσιῶν fr. 5 *Occipitium a rivo deo ostendo, ex oraclo elimino me.* Sic Oehlerus Gulielmi Scriveriique tam emendationem quam explicationem secutus, quorum hic teste Oehlero (nam ipse Scriverium inspicere non possum) ita verba enarrat: 'ait, ni fallor, se rivo ablutum deo se stetisse; tum oraculo audito templum egressum esse.' In quibus miror primum illum nescio quem occipitium potius ablutum quam vel faciem vel manus deo ostendere: et auditum esse oraculum in Scriverii quidem explicatione, non in verbis Varronis legitur: et tamen hoc dici debebat ante ea *ex oraclo elimino me.* Neque *Arivum deum,* quem Popma excogitavit, in meum patrocinium receperim: denique Laurenbergii Ἄρει *deo,* Iunii *armo deo,* Turnebi *a Rivo deo* non vereor ne quis temere a me repudiari arguat. Una litterula mutata in librorum memoria (Non. p. 292, 23) *ariuo deo* veritas constabit: *Occipitium arduo deo ostendo, ex oraclo elimino me.* Nempe *ostendere occipitium,* quod Turnebus explicat in adversariis XXIX 27, est abire et discedere. Cf. Varro de re rustica I 8, 6 *Ibi dominus simul ac vidit occipitium vindemiatoris,*

furcillas reducit hibernatum in tecta. Idem de vita populi Romani apud Nonium p. 245, 14 *Caesar reversione fecit, ne post occipitium in Hispania exercitus qui erant, relinquerent.* Et Catonis notissimum illud: *Frons occipitio prior est*, de re rustica 4. Igitur hoc dicit ille, accepto oraculo se tergum obvertisse deo arduo, cuius mentem per tenebras et ambiguitatem non ceperit. Atque his quidem commode adduntur *ex oraclo elimino me: oraculum* enim dicit locum ipsum ubi dei responsum tulit. Ut iam non sit, quod vel Oehleri coniecturam *ex ora clam* vel probatam Gerlachio Bernensis scripturam *exorando* asciscamus.

Addo tertiam e Marcipore depromptam emendationem. Sextum enim eius saturae fragmentum Oehlerus ita exprimendum curavit: *Qui quid evidenter circumstant non item credo videre: hiantis video, videntis non video.* Quam quidem coniecturam non feliciorem puto reliquis, quae prolatae sunt complures. Nonius p. 318, 31 ita scribit: '*Hiare*' *mirari, stupere* — — *Varro Marcipore:* '*quicquid evidenter (evident et* Bern.) *circumstant non rident credo ridere hiantis videor hiantis (hidentes* Leid. Genev. Bern.) *non audeo (audio* Leid.). Apponam breviter superiorum emendandi conamina. Sic Faber apud Mercerum putavit: *quicumque evidenter circumstant nos, rident credo ridere hiantes video, ridentes non audio:* quae ita Mercerus explicat: 'duorum sermo est, posterioris surdi: qui diducentes labra videt, risum audire non potest.' A quibus non multum abludit Popmae commentum: *quidquid e. c., non vident, Credo r. hiantes: video hiantes, non audio.* Denique Gerlachius accessit, qui haec, tamquam a diversis personis dicta, Varronem scripsisse sibi persuasit, opinor sibi soli: *quiqui* (sic Rothius pro *quicquid) circumstant nos, evidenter rident* . . *credo ridere hiantes* . . *hiantes video, non audio.* Corrigendum erat: *qui quidem videntes circumstant, non rident credo: videre hiantis videor, ridentes non audeo* —. Quae quidem sententia per se plana, ut opinor, quo integra sit, pone *audeo* asciscendum verbum velut *cogitare* vel *animo informare.* Nempe sic sentio, nescio quem qui de miraculo quodam narraverat, auditoribus quos ridentes de nugis istis videbat, haec dixisse: vos ridetis, dum

narro haec; sed qui circumstantes viderunt, non credo risuros esse; videre videor, ut hiantes et obstupefacti adstent; ridentes ne audeo quidem cogitare. Ceterum videre licet, quam lenibus mutationibus defunctus sim, ut qui fere nihil egerim aliud quam rectius verba distinxerim: a qua lenitate longe abest superiorum licentia. Denique quod non integrum enuntiatum praestiti, sed desiderari in fine verbum aio, non offendet eum, qui Nonium vel a limine ut aiunt salutaverit. Sunt alia in hac satura commode aliquando monenda, velut Oehlerum ne vidisse quidem fr. 4 *Eodem coniecisse mera miracula Nescio qua* et metricum esse et artissime cohaerere cum fr. 11 *Haec in aëno bis terve tudiculasse:* eiusdemque socordiam corrupisse fr. 5 *Ut eat ac rem publicam ministret, quod pulli ientent,* in quo e libris omnibus *administret* recipiendum fuit nec spernenda forma, quam Leidensis quidem in eo lemmate Nonii p. 126, 10 constantia suadet, *ieientent*, de qua vide Ribbeckium ad comicorum latinorum reliquias p. 143. Ut ne ab hoc quidem fragmento numeri absint, non magis quam a tertio, quod idem Oehlerus emendando depravavit.

Sed mitto nunc haec et alia complura persequi accuratius. Etenim iam instat discessus ab hac urbe et universitate meus, urgent negotia longius a placida musarum tranquillitate remota, imminet ea, qua nulla acerbius vexari philologus potest, librorum penuria. Ergo desinam, alias cum videbitur ad hunc locum rediturus: desinam autem ita, ut insignem tam collegarum quam aliorum quorum in notitiam veni virorum humanitatem, benevolentiam, comitatem, qua frui per hos duodeviginti menses contigit, cum gratissimi animi significatione recolam.

Scribebam in universitate Vratislaviensi die XV m. Martii a. MDCCCLVIII.

EPIMETRUM.

Cum iam satis diu sit, ex quo maior pars huius commentationis e scriniis meis in officinam Teubneri migravit, haud mirifice accidit praesertim in opera qualis haec est, quod non ita tenue mihi additamentorum spicilegium succrevit. Non dico menda leviora partim mea partim operarum culpa illata, quae cum nec multa sint nec magnam legenti offensionem allatura videantur, taedet singillatim recensere: nec anxia curiositate generis orthographici inconstantiam quandam vel naevos nonnullos orationis notabo, qui nunc cum nitide expressum libellum tamquam alienam operam perlustro vel invito apparent. Immo cum his coniectaneis iustam harum reliquiarum editionem aerumnosam illam et multis modis impeditam viriliter praeparare studuerim, meum esse arbitror, ea potissimum, quibus vel emendatio vel explicatio fragmentorum adiuvari videatur, nunc cum iam in lucem prodire libellus gestiat expromere. Quorum partem potiorem propensae Alfredi Fleckeiseni erga me voluntati debeo, qui quas mihi vel opinationes vel dubitationes significavit suas, earum nonnullas licuit non incommode suis locis orationi inserere: reliqua ascripsi infra.

Tanaquilis fr. iii. quod p. 73 numeris distinxi, praemisso *ille* pronomine suppleri suasit: [*ille*] *nón modo absens* e. q. s.; cuius interitus vocabuli e Nonio explicatur, apud quem versui haec *Varro Tanaquile* praemittuntur.

Eumenidum fr. XIX (29) p. 182 deleta quae ante *ecce* legebatur *et* particula sesquialterum septenarium trochaicum descripsit:

'Ecce de inproviso ad nos accédit cana Véritas,
'Attices philosóphiae alumna.

Ut, quo Varronem vel eodem sententiae ambitu sermonem miscuisse versibus firmarem, licet res ipsa non diluatur, hoc quidem exemplo uti non debuerim p. 72.

Quae p. 67 de vocabulis dactylicis trochaei loco in versu positis dixi, ea me docuit Fleckeisenus ita valere, ut eius praecepti severitas tantum modo a primo trochaicorum pede aliena esset. Quocirca Κοςμοτορυνης fr. 1 octonaria, quam exempli gratia proposui, mensura probari non potest, nihil autem offensionis habet quod initio trochaici admisi *Baetere iussit:* in quo quod *baetere* scripsi pro vulgato *betere* e Bambergensi codice sumptum est, cuius aliquot scripturas idem Fleckeisenus mecum communicavit. Quas quod non omnes perscripsi, non magis mihi vitio vertetur, quam quod ne reliquorum quidem codicum varietatem scripturae exhausi.

Significavi subinde, si quid Varro ex antiquioribus poëtis romanis mutuatus videbatur: ex quo genere, qui dedita opera inquisiverit, non dubito quin multo plura proferre possit. Interim ascribam duos, quos Fleckeisenus mihi indicavit, locos Plautinos a Varrone in saturis adhibitos: Rud. (II 3, 32) 362:

periit potando, opinor:
Neptúnus magnis póculis hac nócte cum invitávit.

coll. Sesquiculixis fr. 15 p. 102:

Ipsum ávidum vino invitavi poclis large atque benigne.

Menaechm. (II 3, 18) 368: *ubi lúbet, licet ire accúbitum* (sic Ritschelius; libri: *ubi lubet (libet), ire licet accubitum)* coll. Ταφης Μενιππου fr. VII p. 150: '*ubi lubet, ire licet accubitum*' *accepto, strenue sussilimus.* Ubi inde quod Varro verbis Plautinis utitur forsitan nonnihil praesidii meae opinationi *accepto* accedat.

Porro Fleckeisenus Papiapapae fr. VI (8) p. 47 suspicatur olim numeris conceptum fuisse, quos tamen mihi nondum contigit ut recuperarem, nec recte ibi *intellegeres* imperfecto legi arbitratur.

Denique idem non sine ratione dubitat de *milvus* bisyllabo, quod p. 106 Roeperum secutus in Sotadeum admisi: nec enim nisi aliquoties a dactylicis poëtis ob metri necessitatem

eam vocem binis syllabis adhibitam esse. Quare cum Sotadei quidem illi sat certis indiciis prodantur, videndum est, num quid alind in depravato *mulsus* delitescat, quod quid sit non exputo.

P. 4 v. 25 Ribbeckius *ec theatro* scribit in praef. ad comicorum latinorum reliquias p. XII: libri *et:* vulgo *e*, quod scripsi.

P. 12 v. 10 nescio an integros hexametros praestare hoc modo liceat:

Iurgare occepit dicens: nugas facis atque
In vulgum vulgas, artemque expromis inertem.

P. 51 v. 24 aegre fero quod M. Hertzium laudare omisi, qui (*Berl. Jahrb.* 1845 I p. 261) ante me de *homulo* (*homullo*) cogitavit. Eundem sero vidi ibidem de Meleagrorum frr. II et III eodem modo iudicasse ac me p. 56.

Endymiones, quam saturam p. 55 v. 4 perstrinxi, Krahnerus de Varronis philosophia p. 22 adnotavit 'e philosophico argumento aptum librum' fuisse.

Bacchiacum systema ab Hermanno in elem. p. 303 constitutum, quod p. 94 tetigi, elegantius Ribbeckius in quaestionibus scenicis p. 268 adornavit in hunc modum:

Quemnám te esse dicam, ferá qui manú
Córporis férvidos fóntium aperis
Lacús sanguinis teque vita levás ferreo énsi?

Iisdemque versibus confert ex Ennii Thyeste fr. IV: cf. Ennianae poësis reliq. p. 141.

P. 130 et 131 quod Bimarco dixi parum probabiliter addi alteram inscriptionem περὶ τρόπων, id paullo probabilius redditur eis quae Krahnerus de Varronis philosophia p. 6 disputavit, Varronem cum aliis in rebus tum in praefigendis titulis Cleanthis auctoritatem non raro secutum esse, cuius περὶ τρόπων extitisse librum Diogenis Laertii testimonio VII 5, 6 constat: unde, quod τρόπους a Varrone notione rhetorica dici affirmavi, egregie comprobatur, quando non aliam vim illum Cleanthis indicem habere Diogenis recensus titulorum indicio est: περὶ διαλεκτικῆς, περὶ τρόπων, περὶ κατηγορημάτων.

P. 188 v. 6 debebam de *eiecit* forma Lachmannum afferre in Lucretii librum II 951.

E SESQUIULIXIS fr. 9, de quo p. 124 disputavi, nulla adhibita mutatione probus, ut puto, Sotadeus prodit:

Quí se in ganeum ác censum cóniecit amícae.

Non semel molossica vocabula binis accentibus insignita vel compari mensura formas in medios versus tam iambicos quam trochaicos admisi, non quod ea non parum grata esse sensissem, sed quia non aliam dimetiendi versus viam dispiciebam et posse illa aliquo modo defendi opinabar. Ac ne nunc quidem reiicio vel iambicum senarium p. 69:

Levis mens numquam sómnurnás imágines

(de senariorum particulis, quas p. 45 disposui, ob mutilam memoriam certius iudicari nequit), vel septenarium trochaicum p. 83:

Pró sua parte is quí se eunuchat aút tális qui líberos,

in quo quod mea coniectura scripsi *aut talis* id ut non unice verum ipse existimo, ita non puto, mero metri nomine reprobari: quemadmodum simili ratione p. 70 hunc exitum septenarii suasi:

sed néc vetulús cantérius.

Sed eandem licentiam cum etiam ad septenarios iambicos adhiberem, opinio me fefellit: nec, quid in eo discriminis positum esset, sensum quidem meum fugit: quo sensu ductus nec tuli p. 72 hunc septenarii finem:

hánc eandém voluptátem

et p. 47 huic versui:

Qui súscitabat Atticarum músarúm scriptóres

ascripsi: 'sed incommodi sunt *musarum* molossicae vocis accentus.' Sic enim corrigi debent, quae ibi perperam scripta leguntur. Sed cum nec illum nec hunc versum, quem p. 69 posui:

Novós maritus tácitulus taxim úxoris solvébat

viderer absque ea mensura constituere posse, circumspexi,

ecquid esset, quo eam excusarem licentiam. Nunc neutrum eorum sic uti scripsi ferri posse mihi persuadeo. Atque illud fragmentum dum attentius considero, ne *scriptores* quidem recte ibi legi existimo, in quorum locum tam concinnitas fragmenti quam saturae argumentum *oratores* potius restitui suadet:

ille ales gállus
Qui súscitabat Átticarum músarum oratóres
An hic qui rabularúm gregem?

Quo minus dubito, quin etiam alterum illud exemplum emendando tolli debeat: id quod quomodo recte fiat, nondum mihi constat. Exempli gratia propono:

Novós maritus tácitulus taxim úxori exolvébat
Cingillum.

Septenariis trochaicis, quibus p. 218 Mysteriorum fr. 6 descripsi, nescio an praeferendi sint ii, quos modo mihi Fleckeisenus indicat, octonarii iambici:

inquit, iúro, dos a fémina
Ut aúferatur. quaé mihi postquam dictast ad concórdiam.

Tantum est.

Dabam Friburgi Brisigavorum die XXV m. Mai a. MDCCCLVIII.

INDICES.

Grammatici Latini ex recensione Henrici Keilii.
Vol. I. fasc. 1. **Flavii Sosipatri Charisii** artis grammaticae libri V ex recensione **Henrici Keilii**. gr. Lex.-8. 1856. geh. 3 Thlr.
Vol. I. fasc. 2. **Diomedis** artis grammaticae libri III, ex Charisii arte grammatica excerpta. gr. Lex.-8. 1857. 3 Thlr. 10 Ngr.
Vol. II. fasc. I & 2. **Prisciani** Grammatici Caesariensis institutionum grammaticarum libri XVIII ex recensione **Martini Hertzii**. gr. Lex.-8. 1855. geh. 6 Thlr. 10 Ngr.
Grani Liciniani quae supersunt emendatiora edidit philologorum Bonnensium heptas. gr. 8. 1858. geh. 16 Ngr.
[Grote, Georg,] Griechische Mythologie und Antiquitäten nebst der Abhandlung über Homer und ausgewählten Abschnitten über die Chronologie, Literatur, Kunst, Musik u. s. f. Uebersetzt aus Georg Grote's Griechischer Geschichte von Dr. **Theodor Fischer**. Erster und zweiter Band. gr. 8. 1856. 57. geh. Jeder Band à 2 Thlr.
Gutschmid, Alfred von, über die Fragmente des Pompejus Trogus und die Glaubwürdigkeit ihrer Gewährsmänner. gr. 8. 1857. geh. 27 Ngr.
— **Beiträge zur Geschichte des alten Orients. Zur Würdigung von Bunsen's** „Aegypten" Band IV und V gr. 8. 1858. geh. 1 Thlr.
Herbst, L., über C. G. Cobets Emendationen im Thukydides. gr. 8. 1857. geh. 12 Ngr.
Hercher, Rud., über die Glaubwürdigkeit der Neuen Geschichte des Ptolemaeus Chennus. gr. 8. 1856. geh. 7½ Ngr.
Q. Horatii Flacci sermonum libri duo. Germanice reddidit et trigiata codicum recens collatorum grammaticorum veterum omniumque Msstorum adhuc a variis adhibitorum ope librorumque potiorum a primordiis artis typographicae usque ad hunc diem editorum lectionibus excussis recensuit apparatu crit. instruxit et comm. illustr. **C. Kirchner**. Pars I. Satiras cum apparatu critico continens. gr. 8. 1854. geh. 2 Thlr.
— — **Voluminis II pars I commentarium in satiras libri primi continens.** gr. 8. 1855. geh. 2 Thlr.
— — **Voluminis II pars II continens commentarium in satiras libri secundi** confectum ab **W. S. Teuffel**. gr. 8. geh. 1 Thlr. 14 Ngr.
Horazens Episteln. Lateinisch und deutsch mit Erläuterungen von Ludwig Doederlein. gr. 8. 1856. 1858 geh. 2 Thlr. 10 Ngr.
— Einzeln: **Erstes Buch.** 1856. 1 Thlr. 10 Ngr. — **Zweites Buch.** 1858. 1 Thlr.
Jahrbücher für classische Philologie. Herausgegeben von A. Fleckeisen. Supplemente. Neue Folge. Erster Band. gr. 8. 1855—56. 2 Thlr. 12 Ngr. Zweiter Band. gr. 8. 1856—1857. 2 Thlr. 12 Ngr. Dritter Band. 1. Heft 20 Ngr.
Keil, Karl, epigraphische Excurse. gr. 8. geh. 9 Ngr.
Kock, Carl, die Vögel des Aristophanes. gr. 8. 1856. geh. 6 Ngr.
— **Aristophanes und die Götter des Volksglaubens.** gr. 8. 1857 geh 6 Ngr.
Lagarde, P. A. de, de Geoponicon versione syriaca. 4. 1856. 10 Ngr.
La Roche, Paul, Charakteristik des Polybius. gr. 8. 1857. geh. 20 Ngr.
Lehrs, K., populäre Aufsätze aus dem Alterthum, vorzugsweise zur Ethik und Religion der Griechen. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 14 Ngr.
Lothholz, G. L., commentatio de Bongarsio singulisque ejus aequalibus. 4. geh. 6 Ngr.
Mommsen, Aug., Beiträge zur griechischen Zeitrechnung. gr. 8. 1856. geh. 15 Ngr.
— **Römische Daten.** 4. 1856. geh. 16 Ngr.
Naevi, Cn., de bello Punico reliquiae. Ex recensione Ioannis Vahleni. gr. 4. 1854. geh. 12 Ngr.
Nicandreu. Theriaca et Alexipharmaca, recensuit et emendavit, fragmenta collegit, commentationes addidit Otto Schneider. Accedunt scholia in Theriaca ex recensione **Henrici Keil**, scholia in Alexipharmaca ex recognitione **Bussemakeri** et **R. Bentlei** emendationes partim ineditae. gr. 8. 1856. geh. 3 Thlr.
Petersen, Christian, über die Geburtstagsfeier bei den Griechen nach Alter, Art und Ursprung. Ein Beitrag zum Hausgottesdienst der alten Griechen. gr. 8. geh 15 Ngr.
Piderit, K. W., zur Kritik und Exegese von Cicero de oratore. 1. 4. 1857. geh. 8 Ngr. II. 4. 1858. geh. 10 Ngr.
Plauti, T. Macci, comoediae. Ex recensione et cum apparatu critico Friderici Ritschelii. Accedunt Prolegomena de rationibus criticis grammaticis prosodiacis metricis emendationis Plautinae. Tomus I. II. III. pars 1. 2. gr. 8. geh. 10 Thlr.
Auch in 9 einzelnen Lieferungen. I. 1, 2 Thlr. — die übrigen Stücke à 1 Thlr.
— **eaed. Scholarum in usum recensuit Fridericus Ritschelius. Tomus I. II. III.** I. 1. 2. gr. 8 geh. 1 Thlr. 15 Ngr.
Einzeln jedes Stück à 5 Ngr.
Plutarchi de musica edidit Ricardus Volkmann. gr. 8. 1856. geh. 1 Thlr. 6 Ngr
Poppo, Ern. Frid., de historia Thucydidea commentatio. Accedit index historicus et geographicus. gr. 8. 1856. geh. 20 Ngr.